





17815. V. L. f.







MANUDUCTIO SACERDOTIS

Ad primum ejus, ac præcipuum
Officium juxta mandatum S.
Romanæ Ecclesiæ.

S E U

*Compendiosa, & evidentissima demonstratio,
quomodo Sacerdos Missam celebrare, sacras
Functiones agere & vivere
debeat.*

PROPOSITA a I. A. S. Presbytero.

D I C A T A

Excellentissimo & Reverendissimo Domi-
no, Domino CAROLO MICHAELI e
Comitibus ab Attems Dei & Apostolicæ
sedis gratia primo Goritiæ Archi-
Episcopo, &c. &c.

Edita primum Goritiæ, 1758.



Editio Secunda, 1759.

SUPERIORUM PERMISSU.



LABACI, typis Joannis Georgii Heptner,
Inclyt. Prov. Carn. Typographi.

*Ego infra scriptus legi librum, cui
titulus Manuductio Sacerdotis,
nec quidquam deprehendi, quod
sit contra Sanctam Fidem, Prin-
cipes, aut bonos mores, & in
suo genere Sacerdotibus proficu-
us sit futurus, censeo posse im-
primi.*


Goritiæ, 3. Jan. 1758.

Cajetanus Orsi S. J.

IMPRIMATUR.


Octavius Bar. de Terzi, Con.

030033237



PARS PRIMA.
INGRESSUS

*Ad Rubricas Missalis Romani, &
ad Ritus celebrandi Missam.*

I.  Xponitur hìc breviter, & proponitur, quomodo Sacerdos dignè, reverenter, ac devotè celebrare debeat SS. Missæ Sacrificium: contra negligentiam, transgressionem, & abusum plurimorum Sacerdotum, à quibus, ac ab eorum ministris multi errores contra Rubricas, & Ritus Missalis Romani passim, & proh dolor! impunè committuntur.

2. Hìc potissimùm agetur de Missa privata, omissis iis, quæ sunt observanda in Missa solemni, ubi sacri ministri adhibentur.

3. Clara est Bulla S. Pii V. in capite Missalis Romani posita, in qua omnibus & singulis districtè mandat, ac in virtute S. obedientiæ

tia præcipit; ut Missam juxta Riturum, ac normam ab eo traditam decantent, ac legant, nihil unquam addendo, detrahendo, aut immutando. De qua etiam dicetur circa finem hujus opusculi. *Part. 3. cap. 5. §. I. n. 2.*

4. Claræ sunt quoque ipsæ Rubricæ: & tamen ex multis vix unum invenies Sacerdotem, qui has exactè, ut fas est, observet, & custodiat; sed plurimos videbis, qui contra illas innumeros penè errores committunt; qui cæremonias, & Ritus Sacros confundunt; qui ordinem invertunt; qui duos, aut tres Ritus simul perficiunt, dum unum post alium, juxta Rubricarum præscriptum peragere deberent, nullatenus anxii, aut scrupulosi. Unde hæc perniciosa transgressio, & enormis injuria, quibûs SS. ac tremendum Missæ Sacrificium vilipenditur, & polluitur? ex tepore, & incuria talium Sacerdotum, qui Rubricas Missalis aut nunquam legerunt, aut lectas non intelligunt, aut intellectas observare non curant; sed more sibi commodo celebrant. Non pauci audent dicere, consuetudinem, seu usum pluribus in locis esse contrarium. Hi legant Bullam citatam S. Pii V. pro omnibus, qui ad Ritus & Cæremonias S. Romanæ Ecclesiæ tenentur, editam: consulantque Doctores, & percipient, quomodo obtemperare, & celebrare debeant; & quòd omnis consuetudo in contrarium, auctoritate Ecclesiæ non fulta, sit abusus illicitus,

&

& corrigendus. Plurimi instruuntur ab aliis errantibus; & sic transit abusus ab uno ad alterum, multiplicanturque errores contra Rubricas. Præcipit S. Romana Ecclesia in omnibus uniformitatem: sed videtur, proh dolor! talis discrepantia, quòd ex multis vix duo inveniuntur Sacerdotes, qui in observandis Ritibus & Cæremoniis conveniunt; & prope modum omnes errant contra Rubricas. Omnes sunt solliciti, ut in rebus æconomicis, & politicis omnia bene succedant absque ullo errore: at sunt paucissimi, qui curant Ecclesiastica, & spiritualia, præsertim circa SS. Missæ Sacrificium; ut omnia debitè observentur, & gerantur.

Hic exponentur plurimi errores, qui committuntur contra Rubricas; sed prius in communi aliquid dicendum est de voce, & Reverentia ad Missam requisitis.

5. Vox, quam Sacerdos in Missa privata celebranda adhibere debet, est triplex. Prima est alta, clara, conveniens, seu intelligibilis; quæ talis esse debet, ut commodè à circumstantibus audiri possit. Secunda est mediocris, parum, seu aliquantulum elata, aut elevata; quæ talis esse debet, ut à ministro, & altari propinquioribus percipi possit. Tertia est submissa; quæ talis esse debet, ut ab aliis non percipiatur: quæ enim secretò dicenda sunt, ita à Sacerdote intra se distinctè, ac labiorum motu proferri debent, ut

nec à ministro, nec ab aliis circumstantibus audiatur. *Rubr. tit. 16.*

Et quot sunt, qui hæc observant? plurimi nullam faciunt distinctionem inter vocem & vocem: quidam adhibent unam pro alia: alii fere omnia dicunt voce clara, alii fere omnia voce submissa.

6. Reverentia est nomen genericum, habens duas species, videlicet: inclinationem, & genuflexionem.

Genuflexio semper fieri debet curvato genu dextero usque ad terram. Unde gravi reprehensione digni sunt, qui genu sinistrum flectunt, vel qui genu vix movent, & solum leve quoddam signum inchoatæ exhibent genuflexionis, more saltantium:

Dum fit genuflexio unico genu, nunquam facienda est alia reverentia, nec inclinatio capitis; & quidem nec prius, nec postea, nec in ipsa genuflexione; quam tamen multi absurdè faciunt.

Genuflexio etiam à ministris, & omnibus aliis, tam intra, quàm extra Missam semper facienda est genu dextero.

7. Inclinatio præscribitur triplex à Rubricis. Prima est profunda: & hæc est, cum Sacerdos stando ita deorsum flectit corpus cum capite, ut in modum crucis manus ambæ dispositæ utrumque genu facilè contingant. Secunda est media, quæ fit capitis, & modica humerorum inclinatione. Tertia est

infima, seu inclinatio capitis, quæ fit sola capitis inclinatione. Jam in principio Missæ, antequam Sacerdos ascendat ad Altare, faciendæ sunt hæ tres inclinationes: nam ad Gloria Patri inclinatio solius capitis: ad Confiteor inclinatio profunda: & ad Deus tu conversus inclinatio mediocris fieri debet.

Perpaucos invenies, qui has inclinationes, in Missa observant juxta præscriptum Rubricarum; quia plurimi eas confundunt, & modo valde indebito, atque imperfecto faciunt: loco enim inclinationis unius aliam faciunt; vel plures intermittunt, aut omnes faciunt æqualiter. Si quis credit, profundam inclinationem dedecere suam personam, consideret Dei filium, qui de cælo descendit. *Joan. 6. 33. & procidit in faciem suam. Matth. 26. 39.*

8. Procedamus nunc ad Rubricas, ubi dilucidè videbis, quàm horrendum in modum plurimi eas violent. Et scito, quòd omnes errores hìc exponendi sint contra Rubricas, quæ accuratè in omnibus sunt observandæ, nihil unquam addendo, detrahendo, aut immutando, sive in agendo, sive in dicendo. Quod si quibusdam in locis Rubricæ non exprimant, quomodo aliquid sit agendum, aut de quibusdam nullam faciant mentionem; tunc hìc determinabitur ex probatissimis Auctoribus, qui de Ecclesiasticis Ritibus scripserunt, ac ex Cæremonialibus approbatis.

9. Ne opusculum hoc fiat prolixius, & lectori fastidium creet, præmittuntur ex Rubricis primi 14. tituli, & deinceps quidam alii; quos tamen omnes quivis Sacerdos in Rubricis, & Ritibus diligenter legere, intelligere, & una cum cæteris observare debet.

De Hora celebrandi Missam.

TITULUS XV.

I. **M**issa privata, &c.

Aurora in ordine ad præceptum de hora celebrandi Missam, non est sumenda mathematicè, & indivisibiliter? sed moraliter cum latitudine unius horæ? sicque poterit inchoari Missa semihora ante initium auroræ mathematicè sumptæ; ut finis Missæ coincidat cum principio ejusdem auroræ.

Tempus auroræ moraliter sumptæ; absque privilegio, vel necessitate notabiliter prævenire est peccatum mortale juxta S. Antoninum, & alios permultos. Præventio autem sive anticipatio notabilis pro Missæ celebratione censetur, secundum communem, & probabiliorem sententiam, quando ultra horæ quadrantem aurora moraliter sumpta anticipatur.

Ob gravem necessitatem, v. g. ad communicandum infirmum, alioquin absque viatico fortè moriturum; vel quia totus populus est instituturus Processionem, & Peregrinationem

nem

nem, potest celebrari Missa ante auroram, immo statim à media nocte.

In nocte Nativitatis Domini licet unicam Missam celebrare; aliæ autem sunt prohibi-
tæ: prout constat ex sequenti Decreto. *In nocte Nativitatis Domini post cantatam primam Missam, nullo modo possunt aliæ immediate celebrari, nec fideles communicari. S. R. C. 20. Aprilis 1641. Et est confirmatum eodem anno 7. Decembris item anno 1668. 15. Sept. eadem Sacra Congregatio 23. Martii 1686. edidit Decretum tenoris sequentis: Præceptum, quòd in nocte Nativitatis Domini post Missam decantatam non possint successive aliæ duæ Missæ celebrari, nec Communio exhiberi Eucharistica fidelibus deposcentibus, ligat omnes, etiam Regulares, tam Ordinum mendicantium, tam congregationum monachalium, tum etiam Patres Societatis JEsu, tum omnes cujuscunque alterius Instituti, etiam speciali mentione nominandi. Neque possunt excipi in Ecclesia confessiones, maximè mulierum, durante tempore nocturno; sed expectandum est, ut illucescat aurora, tam pro confessionibus mulierum excipiendis, quàm pro Eucharistia ministranda fidelibus utriusque sexus. Ita S. Congregatio.*

Potest etiam celebrari Missa ante auroram pro viatoribus, operariis, & famulis, ut illam audiant.

Item aliis justis de causis, etiam privatis, v.g.

propter iter faciendum, ob infirmam valetudinem, multitudinem confessionum, &c. accedente licentia Episcopi, qui tamen generaliter hoc concedere nequit.

Etiam meridies sumitur moraliter: unde potest inchoari Missa in meridie mathematicè sumpto.

In die magnæ festivitatis ob concursum populi potest celebrari Missa post concionem, & Missam Solemnem, mediâ horâ post meridiem mathematicè sumptum: pro dando viatico verò, unâ horâ post meridiem.

Sacerdos ratione itineris impeditus, potest celebrare unâ horâ post meridiem mathematicè sumptum, præsertim in die festo.

De his, quæ clara voce, aut secretò dicenda sunt in Missa.

TITULUS XVI.

I. *IN Missa privata, &c.*

Hic omnia ordinatim declarantur, quæ in Missa privata dici debeant voce clara, & quæ secretò: ubi adverte, quòd hæc Rubrica sub clara voce complectatur etiam vocem mediocrem, seu aliquantulum elatam, de qua fit mentio quatuor in locis, prout videbis, *Part. 2. tit. 7. num. 7. & 8. tit. 9. num. 3. & tit. 10. num. 4.*

2. Sacerdos autem, &c.

Erat Sacerdos, qui non ex libro, vel tabella Secretarum legit; sed suæ confidens me-

morix, periculo se exponit, in multos incidendi errores, præsertim in Canone.

Item qui admodum festinanter legit, & celebrat.

Item qui legit voce clamorosa; quia debet legere voce non nimis elata, ne perturbet alios, [qui in eadem Ecclesia tunc temporis celebrant.

Excipitur Missa conventualis, seu principalis, quæ ab ordine Romano publica vocatur: in hac enim Missa voce clara dicenda ita intelligibiliter proferri debent, ut celebrans tam in Ecclesia, quàm in Choro percipi possit.

De Preparatione Altaris, & ornamentorum ejus.

TITULUS XX.

Altare in quo Sacrosanctum, &c.
Altare, sive fixum, sive portatile, debet esse lapideum, ab Episcopo, sive alio à Sede Apostolica facultatem habente consecratum; adeo, quòd absque eo celebrans mortaliter peccet.

Hic notandum est sequens Decretum: *Non licet Sacerdotibus quibuscunque, sive Regularibus cujusvis Ordinis, sive non Regularibus, etiam Episcopis, in Oratoriis privatis celebrare, ubi etiam unica Missa, quæ in Indulto conceditur, celebrata fuit: super quo celebraturus tenetur diligenter inquirere, & de eo se optimè informare: atque illam etiam in casibus*

*sibus permittis celebrare nequit post meridiem : & in omnibus hujusmodi casibus personæ quæcunque dictas Missas audientes , nullatenus Ecclesiæ præcepto satisfaciunt. S. R. C. 15. Dec. 1703. approbante Clemente XI. Et hoc decretum confirmatum fuit a Benedicto XIV. Constitutione , quæ incipit : *Magnocum animi nostro dolore.* 2. Junii 1751. qui etiam 7. Januarii 1741. declaravit , quòd nec unica Missa aliàs concessa celebrari possit , nisi ibi habeatur præsentia illius , ad quem Breve directum erat. Altare debet esse opertum tribus mappis , seu tobaleis lineis mundis , ab Episcopo , vel alio habente potestatem , benedictis , superiori saltem oblonga , quæ usque ad terram ex utroque latere pertingat ; ita ut latera Altaris non appareant : duabus aliis brevioribus , vel una duplicata. Coronides lignæ , quæ à multis circa Altaris angulos ducuntur , & apponuntur , sunt contra Rubricas , & à Doctoribus reprobantur sequentibus ex causis. Primò quia Celebrantis Planetam notabiliter corrodunt , & consumunt. Secundò quia Celebrans non potest juxta Rubricarum præscriptum ponere manus , & digitos super Altare. Tertiò quia ob earum amplitudinem , aut altitudinem Celebrans minus commodè , aut nullatenus valet osculari Altare ; sed debet osculari coronidem , quæ nullo modo potest dici pars Altaris ; Rubrica autem præscribit osculum Altaris.*

taris. In locum talium coronidum, dicunt doctores, poterunt apponi fasciæ ex auro, argento, serico, vel filo lineo elaboratæ, quibus ipsa Altaris facies aptè redimita appareat, atque conspiciatur. Ita sancitum est in Cærem. Episcop. & loquuntur Doctores.

Debet etiam frons, sive pars anterior Altaris palliô, quod à plurimis antependium dicitur, ornari; & quidem coloris, quoad fieri potest, diei festo, vel officio convenientis: nisi talis anterior pars decenti pictura, aut alio modo ornata sit.

In médio Altaris debet collocari Crux cum imagine Crucifixi; ut Sacerdôs illius intuitu, Christi Domini salutiferæ Passionis memor existat.

Errant, qui Crucem supra Tabernaculum, aut aliàs altè collocant; quia debet ita collocari, ut celebrans absque elevatione capitis oculos ad eam intendere valeat.

Crux debet esse non nuda, sed cum imagine Crucifixi: non exigua, sed visibilis à Sacerdote, & populo assistente. Ita Benedictus XIV. die 16. Julii 1746. Debent esse in Altari saltem duo Candelabra, cum duabus candelis sub Missa accensis, &c.

Errat, qui super Altare ponit Birretum, aut sudariolum ad nares emugendas, &c. quia vult Rubrica, ut super Altare nihil omnino ponatur, quod ad Missæ Sacrificium, vel ipsius Altaris ornamentum non pertinet.

Qui

Qui utuntur conspicillis, nunquam ea ponant super Corporale.

PARS SECUNDA.

Ritus servandi in celebratione Missæ.

TITULUS I.

I. **S**acerdos celebraturus Missam, &c.
 Errat Sacerdos, qui ante Missam celebrandam non orat Matutinum cum Laudibus. Est res indignissima, & intolerabilis, quod Sacerdotes, qui otium, ludos & nugas sequuntur, Horas canonicas adeo vilipendant, quòd eas ad vesperum, immo in feram noctem differant. Sciant tales, & perpendant, quod multi Auctores cum Sanctis Antonino, & Raymundo dicant, Sacerdotem peccare mortaliter, qui ante recitatum Matutinum Missam celebrat, nisi iusta causa excuset. Est quidem etiam sententia contraria: sed cogitent, quid agendum in hac re dubia, præsertim cum S. Pius V. defectibus in celebratione Missarum occurrentibus (qui ex communi Doctorum sententia non accidunt sine culpa mortali de suo genere) tit. 10. n. 1. annumeravit omissionem Matutini cum laudibus ante Missam.

Er-

Errat Sacerdos, qui Missam non perquirit, antequam se induat; sed postea cum tædio astantium, super Altare eam requirendo moratur, vel errori comittendo se exponit. O quanti errores deplorandi, & damnandi, à multis Sacerdotibus, in requirenda, & perlegenda Missa negligentibus committuntur!

Errat Sacerdos, qui non lavat manus, dicendo orationem præscriptam, ante præparationem Calicis, &c. quia debet mundissimis manibûs attingere Sacras vestes, & contrectare purissimum Sacramentum.

Item qui non præparat Calicem cum omnibus requisitis, antequam se induat.

Calix debet habere saltem cuppam argenteam, intus inauratam, ab Episcopo consecratus una cum Patena inaurata.

Purificatorium debet esse ex lino, non ex serico, lana, aut alia materia, album, & mundissimum.

Hostia debet esse azima, id est panis non fermentatus in Ecclesia latina; ex tritico purissimo confecta, & ex aqua naturali, sive elementari; candida, integra, non fracta, aut scissa; immaculata, in se nullam habens prorsus maculam; rotunda ab omnibus diligenter purgata fragmentis.

Si major Hostia haberi non possit, potest cum rationabili causa adhiberi minor; præmonito tamen ante Missam populo de defectu grandioris; ut sic caveatur scandalum.

Palla,

Palla, & Corporale debent esse ex lino, totaliter alba, & mundissima; non sericò, aurò, aut alio quopiam intexta; ab Episcopo, aut alio habente facultatem, benedicta.

Errat Sacerdos, qui ante accessum ad Altare, ibi Corporale extendit, & Calicem collocat.

Item qui Missale in Altari aperit, &c. quia hæc omnia debent fieri tempore, & ordine à Rubrica præscriptis, postquam Sacerdos Sacris vestibus indutus pervenit ad medium Altaris; etiamsi Paramenta accipiat ab Altari.

Errat Sacerdos, qui Corporale defert extra Bursam.

2. *Quibus ita dispositis &c.*

Paramenta debent esse integra, decenter munda, ac pulchra, ab Episcopo, vel alio facultatem habente benedicta; & qui imunda enormiter, vel lacera admittit, peccat mortaliter.

Errat Sacerdos, qui non habet vestem talarem; quia Rubrica præscribit, ut sit indutus vestibus sibi convenientibus, quarum exterior saltem talum pedis attingat. Juxta Sacros Canones vestis statui Clericorum conveniens est talaris: & ferè omnia Concilia post Tridentinum celebrata Clericos adegerunt ad gestandam vestem talarem nigri coloris.

Errat Sacerdos, qui non habet tonsuram, sive coronam in capite; ubi notandum, quòd mul-

multi Doctores asserant esse mortale peccatum, Clericos non deferre tonsuram absque justa causa.

Et quid de illis sentiendum, qui more laicorum crinem crispant: & pulverem cyprum adhibent?

De cæsarie ficta, coma supposititia, seu ficto capillitio, vulgò Parruca extat sequens decretum: *Missæ non potest celebrari cum cæsarie ficta S.R.C. 3. Aug. 1652. Et Benedictus XIV. de synodo diocesana lib. 7. cap. 60. n. 4. sic habet: per ficti capillitii usum Tonsura Clericalis, à sacris Canonibus tantopere commendata, prorsus exolefcit, omnesque Canones eluduntur, quibus à capillis affabrè concinnandis Clerici abstinere jubentur. Et n. 5. sic: Caveat Episcopus, ne hanc veniam (: gestandi videiicet fictum Capillitium) elargiatur; nisi præter causam (nempe medicorum iudiciò, valetudinis causâ) etiam comam ipsam, quam Clerici gestare cupiunt, diligenter priùs examinaverit: non alia siquidem est iisdem, præcipuè si sint in Sacris constituti, permittenda, nisi quæ nullam præferat vanitatem, sed tanta sit moderatione, ac modestiâ concinnata, ut omnibus manifestè appareat, eam ob meram necessitatem, non ad luxum, & pompam; ad capitis, non ornamentum, sed tegumentum, adhiberi. Cavebit præterea, ne ulli Sacerdoti licentiam concedat, Missæ Sacri-*

ficium celebrandi cum adscititia coma, &c. Ita Sanctissimus Christi Vicarius.

Paramenta à Sacerdote ad Missam celebrandam non sunt sumenda de Altari: hoc enim proprium est Episcoporum, & Cardinalium. Si autem deficit Sacristia, vel mensa separata; tunc ponantur quidem in Altari, sed in cornu Evangelii. Ad Altare verò in quo est expositum SS. Sacramentum, nullus omnino sumere debet Paramenta; sed in loco remoto, ob reverentiam tanti Sacramenti.

3. *Ac primùm accipiens Amictum, &c.*

Errat Sacerdos, qui sibi signum crucis producit, sive sola manu, sive Amictu simul, quia hìc nulla faciendà est crux: qui vult se signare, signet se, antequam accipiat Amictum, toties, quoties placuerit.

Item qui osculatur Amictum in extremitate, aut ejus chordulam; quia debet illum osculari in medio, ubi est crux; nam omnis Amictus debet habere in medio crucem, ac depictam, seu formatam.

Item qui Amictum immediatè ponit ad collum; quia debet poni super caput, & mox declinari ad collum.

Item qui tecto capite se induit; quia omnibus Paramentis Sacris indutus debet tegere caput, & postea accipere Calicem.

Item qui ad singulas vestes non dicit orationes præscriptas; quas dicere debet voce submissa: ne aliis sit molestus.

Item

Item qui priùs brachio sinistro Albam imponit.

Errat minister qui ad ministrandum accedit non lotis manibùs ; quia debent omnia mundis manibus ab omnibus semper tractari in sacristia, Ecclesia, & ad Altare, quæ ad Dei cultum, & SS. Missæ Sacrificium sunt destinata.

Item qui Albam non ita elevat, & adaptat, ut honestè dependeat, & vestes Sacerdotis tegat.

Errat Sacerdos, qui ministrum errantem, & non benè ministrantem non corrigit, ac instruit. Multi ministri in Sacrificio plurima malè, & absurdè pronunciant, aut omitunt : Sacerdotes autem eos in suis erroribus absque scrupulo quietos relinquunt ; non perpendentes, quòd dicenda à ministris sint pars SS. Missæ Sacrificii.

Errat Sacerdos, qui non osculatur Manipulum, & Stolam in medio, ubi est Crux. Item qui Manipulum imponit super cubitum ; quia debet poni infra cubitum, non longiùs à manu ; & potest firmari aciculâ, ne cadat.

Item qui Stolam ita sibi imponit, ut ejus medium descendat ad dorsum ; quia debet imponi collo, & ità aptari, ut à superposita casula omnino tegatur.

Errant Sacerdotes, qui se induendo sacris vestibùs, vel jam induti, absque speciali ne-

cessitate colloquuntur, aut cum aliis loquuntur; debent enim ab omni abstinere colloquio, ac cum silentio meditationi vacare, & orationi.

Invaluit etiam in plurimis Sacristiis abusus perniciosus, & correctione dignissimus, confabulatio nimirum, & collocutio ministrorum, & aliorum, etiam alta voce, eo tempore, quo Sacerdotes celebraturi debent orationi vacare ad congruam ante Missam dispositionem præmittendam, vel ad gratias post illam agendas. Et qui talem committunt abusum; vel cum possint, & debeant impedire, permittunt, videant Auctores, qualiter peccent: & sciant, quòd Sacristia, & Oratoria pertineant ad Ecclesiam, in quibus garritus, nugæ, esus, potus, &c. quæ præsertim in pueris videntur, nunquam tolerari debeant. Et ab his locis perpetuò depellendæ sunt omnis generis bestię, præsertim canes, potissimum latrantes & petulantes.

De Ingressu Sacerdotis ad Altare.

TITULUS II.

I. **S**acerdos omnibûs Paramentis indutus &c. Errat Sacerdos, qui non cooperit caput, antequam accipiat Calicem.

Item qui manu dextera accipit Calicem.

Item qui eum non tenet elevatum ante pectus.

Item qui manu dextera non tenet Bursam super Calicem.

Item

Item qui Cruci, vel imagini Sacristiæ non facit profundam inclinationem capite cooperto.

Si non habet Calicem deferendum, debet facere hanc inclinationem capite aperto, & postea tegere caput.

Errat minister, qui ante Missam non præparat ampullas cum vino, & aqua, ac alia ad Missam necessaria. Si ampullæ non habent operculum, tegantur mundò linteolò, aut manutergiò Altaris; ut vinum & aqua pro Sacrificio perpetuò defendantur à muscis, pulveribus, & omni forde.

Sacerdos absque Calice procedens ad Altare, debet habere junctas manus ante pectus.

Minister procedens ad Altare, det campanulâ extra Sacristiam pendente signum ad Missam; qua deficiente suppleat campanulâ Altaris, postquam illuc pervenit, & reverentiam fecit.

Debent Sacerdos, & minister procedere corpore erecto, oculis demissis, incessu gravi, non festinanter & quasi currendo; nec incessu nimis lento, aut affectato.

Minister præcedens debet portare librum ambabûs manibûs ante pectus, & facere ubique reverentias cum Sacerdote.

Errat Sacerdos, qui discedens à Sacristia accipit, seu petit benedictionem.

Item qui ibi, aut in via accipit aquam be-

nedictam, vel aliquid absque necessitate, à Rubricis non præscriptum, facit.

Item qui super Calicem portat manutergium, aut sudariolum ad emungendas nares: decrevit enim S. Rituum Congregatio die 1. Sept. 1703. hoc modo: *Sacerdotes non debent deferre manutergium super Calicem, tam eundo, quàm redeundo ab Altari.* Necessaria pro Altari, Sacerdote, aut ministerio debent ante Missam suis locis esse præparata, aut per ministrum deferri; quia à Celebrante nihil est gestandum, aut ponendum super Calicem, nisi quod Rubricæ præscribunt. Sudariolum autem potest pendere à parte dextera cinguli sub Planeta; quod tamen debet esse mundum.

Errat Sacerdos, qui transeundo ante Altare majus, non facit profundam inclinationem capite cooperto.

Item qui transeundo ante tabernaculum Sacramenti, non facit genuflexionem capite cooperto.

Item qui transeundo ante Altare, ubi elevatur, vel ministratur Sacramentum, non genuflectit utroque genu; quia debet genuflectere, postea caput detegere, ac inclinato capite manere, donec Calix post elevationem positus sit super Corporale; postea tegat caput, surgat, & absque alia reverentia prosequatur viam suam.

Si transit ante Altare, ubi solemniter expositum est SS. Sacramentum, vel ubi fit po-
pu-

puli communio, genuflectat utroque genu, detegat caput, illud inclinet; deinde iterum tegat caput, surgat, & prosequatur viam suam.

Si per Ecclesiam ei obviet Sacerdos deferens SS. Sacramentum, idem præstet.

Si advertit in Altari, ante quod transit, esse adhuc post consecrationem Sacramentum, genuflectat versùs illud unico genu, detegat caput, & facta capitis inclinatione iterum se tegat, surgat, & prosequatur viam suam. Idipsum præstet ante alia Altaria coram Sacramento, si immediatè ante ea transit; non verò, si Altaria magis distant.

Si transit ante Altare, in quo est exposita solemniter reliquia insignis Sancti, de quo fit festum ibidem, faciat cooperto capite profundam inclinationem.

Si transit per Chorum, in quo cantatur Gloria Patri, finis alicujus Hymni, vel alia Oratio, in qua caput inclinandum est, maneat capite aperto mediocriter inclinatus, donec perficiatur.

Si transit per medium Chori, vel immediatè ante Chorum, in quo est Clerus, faciat capite cooperto versùs illum inclinationem capitis.

Sacerdoti obvianti sacris vestibùs induto inclinet caput coopertum; & nemini per viam caput detegat, etiamsi sit magnus Princeps, vel Prælatus cujuscunque Ordinis.

Errat Sacerdos, qui transeundo ante alia Altaria, reverentiam facit; sive ibi fit Missa, sive non.

2. *Cùm pervenerit ad Altare, &c.*

Errat Sacerdos, qui facit reverentiam, antequam detexerit caput, aut illud detegendo.

Item qui non facit profundam inclinationem.

Item qui ante tabernaculum Sacramenti non facit genuflexionem usque ad terram.

Item qui præter genuflexionem facit inclinationem.

Caveat Sacerdos, ne aliquid è Calice decidat, dum amovet manum ad se detegendum: in quo semper sit cautus.

Dum Sacerdos ascendit ad medium Altaris, pergit Minister cum libro ad cornu Epistolæ, & ponit illum super cussinum, ita ut pars libri clausa non Calicem, sed cornu Epistolæ respiciat: & aperiat fibulas libri, non librum.

Errat Sacerdos, qui postquam ascendit ad medium Altaris ibi manus jungit, aut reverentiam facit. Multi sæpius faciunt inclinationem accedendo, vel discedendo à medio Altaris, contra Rubricas, quibus nihil est addendum. Ajunt plures, non esse damnablem pium usum multorum, qui inclinationem faciunt, quoties transeunt ante Crucem, vel accedunt, aut recedunt à ea; etsi Rubricæ hoc non præscribant. Sed tales con-
fide-

fiderent, quàm minutissimè Rubricæ omnia observanda præscribant: & quam districtè S. Pius V. mandet, ne quidquam addatur: & fateri debebunt, hunc non esse pium usum, sed pertinacem, ac damnabilem abusum, sicut omnes alii Rubricis adversantes. Inexcusabilis arrogantia rei sunt, qui Rubricas corrigere volunt; qui consideratè cæremónias & Ritus aliter perficiunt, ac S. Romana Ecclesia præscribit. Omnes tenentur simpliciter obtemperare, & percontari non licet, cur hinc inclinatio profunda? cur ibi mediocris? cur hinc inclinatio capitis? cur alibi nulla inclinatio præscribatur? cur hæc voce clara? cur illa voce mediocri? cur ista voce submissa dicenda sint? cur hoc sic? cur illud aliter faciendum? sed omnia, sicut præscripta sunt, inviolabiliter observari debent.

Errat Sacerdos, qui Calicem non sistit ad cornu Evangelii.

Item qui Corporale non extrahit, sed projicit de Bursa.

Item qui Bursam non collocat ad eornu Evangelii.

Corporale debet in medio Altaris totaliter extendi, ita ut ora illius oram tangat Altaris; ut post consecrationem Sacerdos manus intra illud contineat, dum genuflexionem facit SS. Sacramento.

Errat Sacerdos qui flatu, manu, aut alio modo purificat corporale; sic enim minutis-

simæ particulæ , quæ facilitè ex alia Missa remanserunt super Corporale , abiguntur cum maxima irreverentia.

Errat Sacerdos , qui Calicem super Corporale collocatum à parte anteriori non totalitè tegit.

Errat Minister , qui librum in Altari aperit ; quia apertio libri in tota Missa privata spectat ad Sacerdotem , qui agnum repræsentat aperientem librum *Apocal. 5*. Minister aperiat fibulas libri , si eas liber habet , non verò librum : & in fine Missæ , dum librum accipit , fibulas claudat.

3. *Si est consecraturus , &c.*

Parvæ Hostiæ , seu Particulæ pro communionem aliorum consecrandæ ponantur super Patenam , & post oblationem super Corporale ante Calicem , separatæ à Hostia Celebrantis , à parte Evangelii ; ita tamen , ut remaneant supra Petram Sacram. Si autem ob quantitatem super Patenam manere non possunt , eas locare debet super Corporale modò supradictò , vel in aliquo Calice , aut vase mundo benedictò ; & si vas non habet proprium operculum , tegatur aliâ Patenâ , seu Palâ , & ponatur retrò post Calicem.

Errat Minister , qui cereos , seu candelas tempestivè non accendit , ita ut Sacerdos expectare debeat in Altari.

4. *Collocato Calice , &c.*

Errat Sacerdos, qui facit inclinationem, dum accedit ad cornu Epistolæ.

Item qui apertô Missalî, rediens ad medium Altaris, ibi sistit gradum; sunt multi, qui hærent in medio, quasi deliberantes de Missa celebranda, aut se præparantes, vel formantes intentionem, contra Rubricas, & cum tædio astantium. Non est tunc tempus se præparandi ad Missam, faciendi intentionem, aut aliud quidquam; nam omnia ista debent fieri, antequam Sacerdos se induat: & præcipit Rubrica, ut rediens ex cornu Epistolæ ad medium Altaris, factâ Cruci reverentiâ (profundâ juxta communiorem sententiam; quia hæc Cruci etiam aliàs exhibetur, & debetur, dum à Rubricis facienda præscribitur) se vertat ad cornu Epistolæ, & descendat post infimum gradum Altaris, videlicet ad planum. Debet autem descensurus retrahere se aliquantulum à medio Altaris, ne directè descendendo, Cruci, vel Tabernaculo terga vertat, faciem vertendo ad cornu Epistolæ.

Si in Altari plures extant gradus in diversos ordines distincti, sufficit descendere post infimum gradum primi ordinis. Et si nullus adsit gradus, tunc vertat se, ut supra, & se sistat in tali loco, ut inter ipsum & Altare sit aliqua distantia.

De Principio Missæ, & Confessione faciendâ.

TITULUS III.

I. **S**acerdos cùm primùm descenderit, &c.
Errat Sacerdos, qui duplicem facit reverentiam, genuflexionem, & inclinationem.

Item qui manus junctas non tenet ante pectus.

Item qui pollicem sinistrum ponit super dexterum.

Item qui alios digitos tenet cancellatos, aut incurvatos.

Item qui manus confricat, quasi eas lavaret; quia dum jungendæ sunt manus, debet eas semper jungere, uti Rubrica præscribit, videlicet: junctis manibûs ante pectus extensis & junctis pariter digitis, & pollice dextro super sinistrum posito in modum crucis: quod semper servatur, quando junguntur manus; præterquam post consecrationem: quia tunc pollices & indices juncti tenentur. Et ipsissimô modô jungendæ sunt manus à ministro, item à omnibus aliis, semper & ubique, tam intra, quàm extra Missam: nec manus, aut digiti ori unquam sunt imponendi; quod tamen plures absurdè faciunt.

Errat Sacerdos, qui sub actuali elevatione in Altari vicino, & juxta posito, incipit Missam.

Item qui sub tali elevatione sistit in Altari;
quia

quia tunc debet genuflectere utroque genu in infimo gradu usque ad elevationem Sanguinis inclusivè. Si autem tunc in Altari accommodat Calicem, aut requirit Missam, prosequatur ea, quæ peragit; deinde descendens ad planum flectat, ut supra. Si verò in Altari magis distante est elevatio, nihil attendat. Et hæc sunt etiam observanda post Missam.

2. *Si celebraturus sit coram summo Pontifice, &c.*

Errat Sacerdos, qui à cornu Epistolæ Missam incipit; quia debet se sistere ante infimum gradum Altaris à cornu Evangelii, & ibi versus ad Altare incipere Missam. Minister autem debet esse in plano à latere Epistolæ.

Idipsum observandum est, dum alius Sacerdos illo tempore distribuit Communionem ante cancellos illius Altaris.

4. *Stans igitur Celebrans, &c.*

Errat Sacerdos qui, non crucem, sed confusionem facit.

Item qui crucem facit in aere.

Item qui formando crucem non tangit humeros, sed solummodo frontem, & pectus.

Item qui sinistram manum non ponit infra pectus; quia debet eam extensam tenere infra pectus, ita ut sit extra terminos crucis, quæ omnia semper sunt observanda, dum se signat signò crucis; præterquam quod post

consecrationem pollices & indices junctos tenere debeat.

Minister quoque se signat hoc signo crucis cum Celebrante, non tamen voce intelligibili: ac etiam deinceps se signet cum Celebrante.

Errat Sacerdos (uti & omnis alius) qui formata cruce, dicendo amen, manum ori admovet.

5. *Cum se ipsum signat, &c.*

Pauci sunt, qui crucem faciunt, sicut Rubria hinc præscribit. Ubi sciendum est, quòd non solum in Missa, sed etiam extra Missam hæc crux à omnibus modò hinc præscriptò facienda sit.

6. *Postquam dixerit, &c.*

Errat Sacerdos (uti & Minister) qui non jungit manus ante pectus.

Errat Minister, qui ante Celebrantem, vel ipsi æqualis flectit; quia debet in plano, retrò post Sacerdotem ad sinistram genuflectere: conformando vocem suam voci celebrantis, quoad fieri potest.

Errat Minister, qui non alternatim, & debitò modò dicenda dicit; sed respondet, antequam Celebrans sua terminavit: Et in hoc etiam multi Sacerdotes sunt culpabiles, qui festinanter sua dicunt, absque attentione ad ea, quæ proferuntur à Ministro.

Errat Sacerdos, qui ad *Gloria Patri*, præter caput corpus inclinat.

7. *Repetitâ antiphonâ , &c.*

Errat Sacerdos , qui ad *Confiteor* non profundè se inclinât , donec à Ministro dictum sit totum *Misereatur*.

Item qui ad *vobis fratres* , vel ad *vos fratres* se vertit ad unam , aut utramque partem.

Item qui ad *tunsiem* pectoris non ponit manum sinistram infra pectus.

Item qui vehementer , aut sonore percutit pectus ; quia percussio hæc debet esse modesta , digitis manûs dexteræ omnibus simul junctis , clausis & curvis , vel verò aperta manu , & extensa : & hæc etiam sub suo *Confiteor* observare debet Minister , qui sub *Confiteor* Celebrantis non percutit sibi pectus.

Errat Minister , qui dicto à Celebrante *Confiteor* , respondet *Amen*.

Cùm dicit *misereatur* , caput versus Sacerdotem inclinât in reverentiæ signum.

9. *Cùm Minister , &c.*

Errat Minister , qui sub *Confiteor* non se inclinât.

Item qui ad *tibi Pater* , & *te Pater* non se vertit aliquantulum ad Celebrantem.

10. *Facta à Circumstantibus , &c.*

Errat Sacerdos , qui dicto à Ministro *Confiteor* , respondet *Amen*.

Errat Minister , qui sub *Misereatur* non manet inclinatus , donec Sacerdos dicat *Indulgentiam*.

Errat Sacerdos, qui non mediocriter inclinatus dicit: *Deus tu conversus &c.*

II. *Et tunc, &c.*

Errat Sacerdos, qui ascendit ad medium Altaris per gradus laterales, ubi fecit confessionem; quia Rubrica sic præscribit *facta summo Pontifici genuflexione (aliis Prælati profundâ reverentiâ) accedit ad medium Altaris ante infimum gradum, & ibi incipit secretò, Aufer â nobis, &c.*

Idipsum est observandum, dum alius Sacerdos illo tempore distribuit Communionem ante cancellos illius Altaris; ut celebrans facta SS. Sacramento genuflexione, accedat ad medium Altaris ante infimum gradum, &c. ut supra.

De Introitu, Kyrie eleison, & Gloria in excelsis.

TITULUS IV.

I. **D**Um dicit, Aufer â nobis, &c. Errat Sacerdos qui genuflectit, aut aliam reverentiam facit, antequam ascendat ad medium Altaris; quia nec expositô SS. Sacramentô hîc ulla reverentia est facienda.

Ascendenti Sacerdoti Minister manu dextera elevet aliquantulum partem anteriorem (non posteriorem, aut lateralem, uti plures imperitè, & inaniter faciunt) vestis talaris, & Albæ; ne ipsi sit impedimento.

Dum Sacerdos incipit ascendere, surgat Mi-

Minister, & genuflectat super ultimum Altaris gradum : ubi verò nullus est gradus, sed solùm suppedaneum, ibi Minister flectat in eodem plano, non super, sed prope suppedaneum.

Errat Minister, qui sub Missa circumspicit; debet enim maxima cum modestia, & devotione agere ministerium Angelorum, & repellere alios, præsertim juvenes, qui ibi impertinenter se gerunt.

Item qui clarè, aut sibilando, vel susurrando orat; quia hoc modo est Sacerdoti, & circumstantibus molestus: quemadmodum omnes alii penes alios quovis in loco, in Ecclesia, aut alibi taliter orantes errant, absurdò suò orationis modò circumstantibus tædium & impedimentum afferentes. Si Minister advertat, quòd quis circumstantium talitèr oret, debet eum monere, ut oret secretò. Qui autem in corrigibilem abusum contraxerunt, ex libro, vel aliàs intelligibiliter orandi, debent se recipere in locum remotum; ne cæteris orationi, aut aliis operibus vacantibus sint molesti.

Errat Sacerdos, qui dicit: *Oramus te Domine, &c.* antequam pervenerit ad medium Altaris, omnì modò observatò, qui hìc præscribitur à Rubrica de jungendis, & super Altare ponendis manibus, videlicet, ut *digiti parvi duntaxat frontem, seu medium anterioris partis mensæ Altaris tangant, residuò*

manuum inter Altare & se retentò, pollice dextro super *sinistrum*, in modum crucis posito, & benè notandum, quòd hæc omnia sint observanda, cum manus junctæ super Altare ponuntur: ergò etiam post consecrationem, ubi tamen pollices, & indices non disjunguntur.

Errat Sacerdos, qui osculatur Altare ex parte; quia debet illud osculari in medio; quod semper est observandum.

Item qui manus extensas ponit super Corporale.

Item qui non manus, sed solùm digitos ponit super Altare.

Manus extensæ ante consecrationem, & post sumptionem semper ponendæ sunt super Altare extra Corporale: post consecrationem verò semper super Corporale.

2. *Osculatò Altari*, &c.

Errat Sacerdos, qui discessurus ad cornu Epistolæ, facit inclinationem.

Item qui sub introitu ponit manus junctas aut disjunctas, super librum; quia debet illas junctas tenere erectas ante pectus.

Item qui ad *Gloria Patri* non inclinatur caput versùs Crucem manibùs junctis.

Item qui etiam corpore se inclinatur.

Item qui discedit à libro, antequam absolverit totum Introitum.

Item qui incipit dicere *Kyrie eleison*, antequam pervenerit ad medium Altaris.

Errant Sacerdos, & minister, qui non alter-

ternatim, sed præcipitanter & confuse dicunt *Kyrie eleison*, &c.

Item qui locò *eleison* dicunt *elaison*.

3. *Dictò ultimò Kyrie eleison*, &c.

Errat Sacerdos, qui ad *Gloria* elevat oculos.

Item qui post *Gloria*, &c. factò signò crucis, jungit manus.

De Oratione.

TITULUS V.

1. **D** *ICTO Hymno*, &c.

Errat Sacerdos, qui vertens se ad populum, elevat oculos, aut quemquam aspicit.

Item qui dicit, *Dominus vobiscum*, antequam sit conversus ad populum.

Item qui manus gyrat, vel demittit, aut nimitum extendit; quia debet junctis manibus ante pectus, & demissis ad terram oculis (non clausis) se vertere à sinistro latere ad dexterum versùs populum, & conversus ad populum in medio Altaris extendere manus (non ultra latitudinem corporis: quod in extensione manuum semper est observandum) proferendo, *Dominus vobiscum*, & illas statim jungere ante pectus, ac junctis manibus reverti ad librum.

Errat Sacerdos, qui versùs populum caput inclinat, aut aliam reverentiam facit; minister verò respondens: *Et cum spiritu tuo*, debet aliquantulum inclinare caput erga Sacerdotem.

Errat Sacerdos, qui in cornu Epistolæ ad *Oremus* non inclinatur caput versus Crucem.

Item qui ad Orationem, aut Orationes ponit manum, vel manus supra librum, aut Altare.

Item qui manus nimium extendit; debet enim extendendo, & jungendo manus ante pectus, caput Crucis inclinare, dicens: *Oremus*; & hoc dicto eas (absque extensione brachiorum) extendere ante pectus; ita ut palma unius manus respiciat alteram: digitis simul junctis, ac extensis, quorum summitas humerorum altitudinem, distantiamque non excedat. Et hoc in omni extensione manuum ante pectus semper debet servari.

Errat Sacerdos, qui vertendo una manu folium libri, &c. alteram tenet elevatam; quia debet interim eam ponere supra librum, aut Altare: quod semper est observandum.

Item qui ad conclusionem Orationis, debito modo non jungit manus: debent enim jungi ad, *per Dominum nostrum*, vel *Christum Dominum nostrum*, & junctæ teneri usque ad finem. Si aliter concluditur Oratio, eas jungit, dum dicit, *in unitate*, usque ad finem; & postea reperit orationem, aut orationes alias, si sint dicendæ: hocque est observandum in conclusione omnium Orationum.

2. *Cum nominatur*, &c.

Errat Sacerdos, qui ex parte Epistolæ caput

put versùs Crucem non inclinât, cum ibi nominatur *Jesus*.

Item qui caput non inclinât versùs librum, dum ibi nominatur nomen *Mariæ*, vel Sanctorum, de quibus dicitur Missa, vel fit commemoratio, vel quando nominatur Papa.

Item qui in aliena Ecclesia celebrans, in Oratione à cunctis, ubi est littera N. nominât Patronum suæ Ecclesiæ; quia debet exprimi nomen Patroni illius Ecclesiæ, in qua celebratur Missa; observato ordine à Rubrica præscripto post præfatam orationem in fine Missalis, videlicet, ut digniores (quales sunt Archangeli, Angeli, S. Joannes Baptista, S. Joseph.) præponantur Apostolis. Si autem Ecclesia sit dicata SS. Trinitati, SS. Salvatori, spiritui Sancto, Beatissimæ Virgini, vel Sanctis Petro, aut Paulo, tunc apud litteram N. poterit exprimi nomen Sancti pro arbitrio, & devotione Sacerdotis.

Hic notanda sunt Decreta sequentia: *In festis primæ classis non dicitur oratio, Deus refugium, jussa à majoribus pro re gravi. S. R. C. 28. Aug. 1627. Et hoc intelligendum est etiam de aliis orationibus jussis.*

Quando tertia oratio in Missis est ad libitum, tunc oratio jussa à majoribus debet recitari tanquam ex præcepto, quarto loco, non omissa tertio loco illâ, quæ est ad libitum, seu pro devotione Sacerdotis eligenda. S. R. C. 17. Aug. 1709.

Errat Sacerdos, qui Epistolam, & sequentia dicit voce mediocri, aut submissa; debent enim in Missa privata dici voce clara, sicut Orationes.

De Epistola, Graduali, & aliis usque ad Offertorium.

TITULUS VI.

I. **D** *Ictis Orationibus, &c.*

Cùm Sacerdos ex cornu Epistolæ transit ad medium Altaris, minister statim accipit librum, & clausum, pollice sinistro inter folia interjecto, in quibus est Evangelium legendum, ante pectus (ante, non retro Altare transeundo; quod semper est observandum) illum transfert ad cornu Evangelii, non transeundo super suppedaneum, aut gradum Altaris, sed in plano, ubi in medio facit genuflexionem; quod semper observet; librum in cornu Evangelii sic collocat, ut Sacerdoti sit accommodatus. Si ob altitudinem Altaris debuit ascendere per gradus laterales ad collocandum librum, tunc per eosdem descendat ad planum, ibique conversus ad Altare consistat, donec responderit, *Gloria tibi Domine*: deinde se conferat ante infimum gradum à cornu Epistolæ, & conversa facie ad Evangelii latus, ibi stet, donec terminatò Evangelio dixerit, *Laus tibi Christe*: postea ibi genuflectat.

Advertat semper minister: ne accedendo
vel

vel recedendo ab Altari, unquam terga ipsi vertat: & ut transeundo per medium, Cruci debitam reverentiam faciat.

2. *Locatò Missalî, &c.*

Errat Sacerdos, qui incipit dicere *Munda cor meum*, antequam pervenerit ad medium Altaris; quia debet à cornu Epistolæ ad medium procedere Altaris, incessu gravi, vultuque demisso, manibûs ante pectus junctis (quæ semper observare debet) ubi levatis ad Deum, id est ad Crucem oculis (absque elevatione capitis) & statim demissis, ac profundè inclinatus, manibûs junctis ante pectus, secretò dicit, *Munda cor meum, &c.*

Errat proinde Sacerdos, qui manus ponit super Altare.

Item qui non profundè se inclinat.

Item qui dicit, *Jube domne*; quia debet dicere, *Domine*: nam in Missa privata alloquitur non hominem, sed Deum. *Jube domne* dicit Diaconus in Missa Solemni, benedictionem petens à Celebrante.

Errat Sacerdos, qui dicit, *Dominus vobiscum*, antequam pervenerit ad librum Missalis, ibi enim, & non priùs, dicit junctis manibûs, *Dominus vobiscum*, & responsò à ministro, *Et cum spiritu tuo*, manus disjungat, ponendo sinistram super librum. Deinde pulpâ pollicis dexteræ manus (non ungue, vel indice, neque pollice & indice simul) manu totaliter extensa, ejus palmâ ad librum con-

versâ , reliquîs quatuor digitis extensis , & simul junctis , non curvatis , signat librum cruce parva super principio Evangelii legendi ; deinde ponit sinistram extensam infra pectus , & dextero pollice , manu eodem modo extensa , ejusque palmâ ad se conversâ , se ipsum signat , formando triplex perfectæ crucis signum , primum in fronte , secundum in ore , tertium in pectore , dicens ; *Sequentia : vel Initium* , &c. Eodem modo se signat minister cum aliis astantibus. Et hæc crux semper talî modô est formanda , etiam extra Missam.

Debet Sacerdos autem esse conversus ad cornu Evangelii , non ad Altare , usque ad finem Evangelii , quod dicere debet junctis manibus ante pectus.

Si sub Evangelio faciendâ est genuflexio , aut inclinatio , debet eam Sacerdos facere versus librum.

Errat Sacerdos , qui finitô Evangelio librum non elevat , aut nimium elevat ; quia responsô à ministro , *laus tibi Christe* , debet ambabus manibus parumper elevare librum sine cussino , & aliquantulum se inclinans osculari principium Evangelii à se dicti , dicens submissa voce : *Per Evangelica dicta* , &c. præterquam in Missis defunctorum.

3. Dictô Evangelio , &c.

Finitô Evangelio Sacerdos ponit Missale cum cussino prope Corporale , sed nullo modo supra Corporale ; ut facilius ex eo legere possit in medio Altaris.

Er-

Errat Sacerdos, qui incipit *Credo*, antequam pervenerit ad medium Altaris.

Item qui perveniens ad medium, facit inclinationem.

Item qui ad *Credo* oculos elevat.

Item qui demittit manus, aut eas super Altare ponit, easque iterum elevat; quia debet manibûs ante pectus junctis procedere ad medium, & ibi stans versûs Crucem, elevare, & extendere manus, dicens: *Credo*; & cum dicit *in unum Deum*, debet jungere manus, & caput inclinare: quo erecto stans ibidem junctis ante pectus manibûs, profequitur usque ad finem.

Errat Sacerdos, qui ad verba, *Et incarnatus est*, non flectit genu ad terram, usque & *homo factus est*, inclusivè.

Item qui accipit anteriorem partem Planetæ præ manibus, illam elevando, aut tenendo, dum genuflectit.

Item qui corpore & capite non erecto, sed hoc inclinando, genuflectit.

Item qui genu sinistro, aut utroque genuflectit.

Minister ad dicta verba debet genuflexus profundè se inclinare.

Errat Sacerdos, qui post *Credo* &c. factò signò crucis, jungit manus.

Juxta Rubricas de symbolo tit XI. non dicitur *Credo* in festo titulari alicujus Capellæ, vel Altaris; hoc autem intelligendum est de

Missis privatis; prout constat ex sequenti decreto: *Symbolum in Missa Solemni potest decantari in illa Ecclesia, ubi est Altare erectum sub invocatione alicujus Sancti, ratione concursus; licet de eo fiat Officium sub ritu semiduplici S. R. C. 1. Aprilis 1661.*

6. *Si autem sit prædicandum, &c.*

Errat Sacerdos, aut concionator, qui prædicat, aut sermonem facit post dictum *Credo*; quia *Credo* dicendum est post concionem.

Item qui in medio Altaris prædicat, quia debet stare, aut super nudo scamno sedere in cornu Evangelii, si concio non fiat in pulpito.

Hic notandum est sequens decretum: *Ante SS. Eucharistiæ Sacramentum publicè expositum non potest fieri concio capite tecto S. R. C. 16. Febr. 1630.*

De Offertorio, & allis usque ad Canonem.

TITULUS VII.

1. **D**ictò Symbolò, &c.

Errat Sacerdos, qui ad *Oremus* caput Cruci non inclinatur.

Item qui *Offertorium* non dicit clara voce, junctis ante pectus manibus.

Errat Minister, qui ponit cussinum ad terram, vel suppedaneum, aut gradum Altaris; quia est contra reverentiam, & inquinatur.

2. Di-

2. *Dictò Offertoriò.*

Errat Sacerdos , qui velum Calicis ponit super , aut subtus Corporale.

Item qui amovet Pallam , dum Calix adhuc est in medio Altaris.

Item qui Pallam projicit ; debet enim discooperire Calicem ambabûs manibûs , velum plicare , & plicatum deponere prope tabelam Secretarum à cornu Epistolæ , totaliter extra Corporale , nam super Corporale nihil aliud poni debet , nisi quod Corpus , & Sanguinem Christi tangere , aut tegere solet ; proinde nec perspicilla , aut aliud quidquam.

Deinde posita manu sinistra super Altare extra Corporale , manu dextera ponit Calicem ad cornu Epistolæ , & eadem manu amovet parvam Pallam , quæ est super Hostiam , eamque deponit super Corporale , & aliquantulum super velum , ut eam faciliùs levare possit.

Errat Sacerdos , qui non ambabûs manibûs Patenam tenet sub oblatione ; quia debet manu dextera accipere de Calice Patenam cum Hostia inter pollicem , indicem , & medium digitum , eamque tenere etiam manu sinistra , videlicet iisdem tribûs digitis elevatam ad altitudinem pectoris (non altiùs , aut demissiùs) super medium Corporalis , & oculis ad Crucem elevatis , ac statim demissis , dicere submissa voce , *suscipe S. Pater , &c.*

3. *Si fuerint alia Hostiæ, &c.*

Errat Sacerdos, qui non utraque manu tenet Patenam, dum facit signum Crucis.

Item qui facit Crucem excessivam.

Item qui signum Crucis facit per puncta, & non per lineas æquales.

Item qui formando crucem, Patenâ tangit Corporale; debet enim efformari Crux super corporale, non ultra latitudinem unius palmi. Et hæc sunt etiam observanda in formanda Cruce cum Calice post ejus oblationem.

Errat Sacerdos, qui totam, aut quasi totam Patenam ponit subtus Corporale; quia solum aliquantulum subtus est ponenda, & exterfo Calice cooperienda Purificatoriô.

Antequam discedat ad cornu Epistolæ, cooperiat vas aliarum Hostiarum consecrandarum, quod discooperite debuit pro oblatione facienda.

4. *Deinde in cornu Epistolæ, &c.*

Errat Minister, si ob defectum vini, aut aquæ, vel cujuscunque rei Sacerdos expectare debet.

Errat Sacerdos, qui hîc, aut in fine Missæ, nimum fricando extergit Calicem; quia vehementi & repetita fricatione atteritur aurum.

Item qui Purificatorium tenet, dum vinum & aquam ponit in Calicem; quia exterfo Calice debet Purificatoriô cooperiri Patena.

Item

Item qui non in cornu Epistolæ ponit vinum & aquam in Calicem ; quia debet in cornu Epistolæ sinistra manu Calicem accipere infra cuppam , vel per nodum , & dextera eum extergere Purificatoriô. Deinde tenet sinistra manu Calicem ad nodum ; dexterâ accipit ampullam vini de manu ministri , & ponit vinum in Calicem , in quantitate decenti , quæ uno haustu sine interruptione à Sacerdote sumi possit.

Errat minister , qui ampullam , aut ampullas super Altare ponit ; quia debet manu dextera tenere ampullæ partem inferiorem , eam osculari , & porrigere cum inclinatione capitis ; ita ut Sacerdos eam possit per aurem , seu manubrium capere. Postea statim accipiat ampullam aquæ , & receptâ in manu sinistra ampullâ vini tradat dexterâ eodem modo ampullam aquæ.

Errat Sacerdos , qui Calicem tenet elevatum , dum in illum imponit vinum & aquam.

Item (idem dic de ministro) qui ampullam ponit super tobaleam , aut manutergium ; quia debet restitui ministro , aut poni super pelviculam , ne tobalea , aut manutergium maculetur.

Sufficit in Calicem infundere aquam in modicissima quantitate ; & potest tantum aquæ infundi , ut quintam vini partem non excedat.

Errat Sacerdos , qui infundendo vinum ,
aut

aut priùs dicit , *Deus , qui humana substantiæ , &c.* quia hoc dicere debet post infusionem vini manu dextera signum Crucis producens (si non celebrat in nigris) super ampullam aquæ , & infundens parum aquæ , profequi dicendo , *da nobis per hujus , &c.*

Si guttæ vini , aut aquæ dispersæ apparent intra Calicem tunc vel circumactô vinô Calicis uniantur , vel purificatoriô abstergantur.

5. *Impositâ aquâ , &c.*

Finita oratione , relicto Calice in cornu Epistolæ , non procul à corporali , Sacerdos manibûs ante pectus junctis pergit ad medium Altaris , ubi sinistra manu super Altare posita , dexterâ accipit Calicem ad nodum infra cuppam , & manu sinistra ejus pedem , eumque elevat usque ad pectus , ita ut summitas Calicis oculos non excedat ; & intentis ad Crucem oculis offert dicens : *Offerimus tibi Domine , &c.*

Errat Sacerdos , qui cum Calice facit signum crucis super Hostiam ; quia debet illud facere post Hostiam super Corporale , ubi collocandus est Calix.

Item qui non utraque manu Calicem tenens , uti priùs , signum crucis facit , &c. sicut dictum est de Patena hic n. 3.

Item qui facta cruce cum Calice , eum aliùs elevat , & postea deponit.

Factô signô crucis cum Calice , eum am-
babus

babûs manibûs collocat in medio Corporalis post Hostiam, ita ut ab ea distet per spatium alterius Hostiæ circitèr; dummodo Portatile locum præbeat. Deinde sinistra manu super Altare posita, vel eâdem pedem Calicis tenens, dexterâ accipit Pallam, eâque Calicem tegit.

Errat Sacerdos, qui solum caput inclinât, aut profundè se inclinât; quia debet manibûs junctis super Altare positis, aliquantulum, id est mediocriter inclinatus secretò dicere. *In spiritu humilitatis, &c.*

Postea erectus, elevans oculos, manusque expandens, & statim jungens ante pedus (quod semper facit, quando aliquid est benedicturus) dicit: *Veni sanctificator, &c.*

Errat Sacerdos, qui manum sinistram non ponit super Altare, dum benedicit.

Item qui Crucem nimis celeriter format.

Item qui impetuosè format crucem, quasi vellet aliquid secare, aut percutere.

Item qui loco Crucis confusionem facit, quasi vellet abigere muscas.

Item qui facit Crucem per puncta.

Item qui facit transversam partem Crucis manu transversa, aut digitis curvatis.

Item qui facit lineam transversam infra Calicem.

Item qui facit Crucem excessivam; quia Crux semper faciendâ est graviter & devotè, manu & digitis semper extensis in rectum, per
lineas

lineas rectas & æquales, quæ non excedant mensuram unius palmi manus communis: & tota linea transversa Crucis debet fieri in altitudine lineæ rectæ, versùs pectus erecta, & non versùs Hostiam eam deprimendo. Et hæc in formandis Crucibus semper sunt observanda.

Hic notandum est sequens decretum: *Cruces, quæ fiunt à Sacerdote super oblata, non sunt faciendæ manu transversa, sed manu recta in transversa parte Crucis.* S.R.C. 4. Aug. 1663. & 24. Julii 1683.

6. *Tum junctis ante pectus manibûs, &c.*

Errat minister, qui versùs medium Altaris accedit ad celebrantem pro fundenda aqua; quia celebrans debet junctis manibûs accedere ad cornu Epistolæ, ibique conversus ad ministrum in plano stantem lavare extremitates digitorum pollicis, & indicis utriusque manus: pro qua lotionem minister teneat cum sinistra manu pelviculam, cum dextera ampullam aquæ, & sese celebranti inclinans, ampullam aquæ quasi osculans, fundat aquam extra mensam Altaris, supra pelviculam, donec Celebrans det signum desinendi.

Si Minister est staturâ pusillus, ascendat ad gradum, vel etiam ad extremitatem suppedanei, ne Celebrans cogatur se inclinare pro lotionem manuum.

Si duo sunt ministri, teneat alter mapulam, seu manutergium ad sinistram alterius,

terius, utraque manu extensam, eamque quasi cum osculo extendat super digitos Celebrantis madefactos, & eodem modo postea eam recipiat, ac ad suum locum ponat. Si unicus est minister, tunc antequam accipit ampullam aquæ, manutergium super Altare extensum parùm eleve; ut à Celebrante possit facilius capi ad manus tergendas. Hoc manutergium non est postea ponendum subter cussinum; sed debet pendere ex loco apto, ut exsiccari valeat.

Errat Sacerdos, qui os, vel labia madefacit, aut lavat.

Item qui manutergiò os, labia, aut nares abstergit, vel mundat; quia lotis manibùs debet se convertere ad parietem Altaris in eodem cornu Epistolæ, & abstergere solummodo digitos lotos, debetque sub lotionem, & absterfione finire totum Psalmum *Lavabo* unà cum *Gloria Patri*, &c. submissa voce in cornu Epistolæ, inclinando ad *Gloria Patri* caput versùs Crucem.

7. *Celebrans lotis manibùs, &c.*

Errat Sacerdos, qui in medio Altaris solum caput inclinat, aut profundè se inclinat.

Item qui orationem incipit, antequam se inclinaverit; quia debet ex cornu Epistolæ manibùs ante pectus junctis reverti ad medium Altaris, ibique junctis manibùs stans, oculos ad Crucem elevare, & statim demittere, ac postea manibùs junctis super Altare

sicut tit. 4. n. 1. dictum est (aliquantulum, id est mediocriter inclinatus dicere Orationem: *Suscipe S. Trinitas, &c.*

Errat Sacerdos, qui clara voce dicit, *Orate fratres*; quia hæc duo verba debent dici voce aliquantulum elata, id est mediocri, & sequentia secretò.

Item qui responsò à ministro, *suscipiat, &c.* clara voce dicit, *amen*; hoc enim submissa voce dicendum est, postquam minister terminavit totum *suscipiat.*

Errat minister, qui statim post *Orate fratres*, respondet, *suscipiat, &c.* quia debet quasi per mediam salutationem angelicam expectare, donec Sacerdos verba sequentia secretò dixerit.

Errat Sacerdos, qui non conversus ad librum dicit orationem, seu orationes secretas.

Dum Sacerdos stans in medio Altaris, aliquid in Missali reperire, aut folium vertere debet, utatur quantum fieri potest, sola manu sinistra, dexterâ super Altare positâ.

8. *Perventò autem, &c.*

Errat Sacerdos, qui non ponit manus super Altare; quia in conclusione ultimæ Orationis secretæ ad verba illa, *Per omnia secula seculorum*, debet in medio Altaris stans, depositis super eo manibus extensis prope Corporale, dicere voce intelligibili, *Per omnia secula seculorum, &c.*

Item qui ad *Sanctus* ponit manus super Altare;

tare ; quia debet eas tenere junctas ante pectus usque ad *Benedictus* , &c.

Item qui clara, aut submissa voce dicit *Sanctus* , &c. quia hæc debent dici voce mediocri usque ad Canonem.

Item qui ad *Sanctus* solum caput inclinatur, aut profundè se inclinatur ; quia debet esse mediocriter inclinatus usque ad *Benedictus*.

Dum Sacerdos dicit *Sanctus* , pulset minister campanulam, ter interpolatim, duobus ictibus pro singulis vicibus ; & postea campanulam deponat ; nec eam prius vel postea teneat, aut moveat, nisi dum actu pulsanda est ; ne extra tempus audiatur.

Si præter ministrum nullus interest Missæ, tunc non pulsatur campanula, neque ad *Sanctus* , neque ad elevationem ; quia campanula ideo pulsatur, ut populus ad adorationem Sacramenti excitetur.

De Canone Missæ usque ad Consecrationem.

TITULUS VIII.

1. **F** *Inita Præfatione* , &c.

Errat Sacerdos, qui incipit Canonem ante inclinationem.

Item qui non profundè se inclinatur : quia postquam elevavit aliquantulum manus disjunctas, oculis elevatis ad Crucem, & sine mora demissis, debet jungere manus super Altare, & profundè inclinatus incipere Canonem, secretò dicens : *Te igitur* , &c.

2. *Ubi dicit, &c.*

Errat Sacerdos, qui ad nomen Papæ non inclinatur caput versùs librum.

Item qui celebrans extra Dioccesim sui Episcopi, hunc nominat; quia debet nominari Antistes Diocesis, seu loci, in quo celebratur.

3. *Cùm dicit memento, &c.*

Errat Sacerdos, qui clara, aut mediocri voce dicit, *Memento*.

Item qui ad *Memento* non elevat manus.

Item qui sub *Memento* manus, aut digitos supra os ponit.

Item qui sub *Memento* fermè nihil, aut nimium se detinet; quia debet elevare & jungerè manus usque ad faciem, vel pectus, & dicere secretò, *Memento Domine, &c.* & demisso aliquantulum capite, oculis non versùs Crucem elevatis aut vagantibus, sed versùs Hostiam defixis: neque clausis, nisi fortè ad majorem animi compositionem; paulisper, saltem per unum *Pater noster* stare in quiete, & facere commemorationem, prout Rubrica hìc præscribit.

4. *Commemoratione vivorum facta, &c.*

Errat Sacerdos, qui post *Memento* facit inclinationem.

Item qui non secretò dicit, *Et omnium circumstantium, &c.*

Item qui non expandit manus super Calicem, & Hostiam, uti Rubrica præscribit; debet

bet enim ad *per eundem* jungere manus ; & cum dicit , *Hanc igitur* , debet eas expandere simul super oblata , ita ut palmæ sint apertæ versùs ac supra Calicem & Hostiam , & digitorum extremitates perveniant ad medium circiter Pallæ , non tamen illam tangant ; pollice dextro super sinistro in modum Crucis , non infra , sed supra manus posito , usque ad , *per Christum Dominum nostrum* . Et notandum est sequens Decretum : *Manus Sacerdotis ad hanc igitur oblationem , debent ita extendi , ut palmæ sint apertæ , pollice dextro super sinistrum in modum Crucis , supra manus , non verò infra manus* . S. R. C. 4. Aug. 1663.

Errat minister , qui campanulâ nullum , aut nimis longum dat signum , dum Sacerdos facit Cruces super oblata ; quia debet dare modicum signum , tribùs circiter ictibùs campanulæ ; ut moneatur populus de consecratione , & elevatione facienda.

Sacerdos accepturus Hostiam , extergat digitos , ne sint humidi , non in medio , sed in extremitatibus corporalis : & maneat erectus usque ad consecrationem.

5. *Si adsit vas , &c.*

Ante digitorum abstersionem retrahat vas aliarum Hostiarum consecrandarum ad latus Calicis versùs cornu Evangelii , illudque discooperiat.

Errat Sacerdos , qui Hostiam tenens , re-

liquos manuum digitos non habet extensos, & simul junctos.

Item qui erectus consecrat, sive Hostiam, sive Calicem; quia acceptâ Hostiâ, & peractis, ac dictis numero præcedente præscriptis debet cubitis super Altate positus, capite inclinato proferre verba consecrationis distinctè, reverenter, & secretò, non nimium festinanter, super Hostiam, & simul super omnes, si plures sint consecrandæ.

Errat Sacerdos, qui alias, vel etiam unicam aliam Hostiam, seu particulam consecrandam tenet in manibus, aut consecratam cum alia Hostia elevat; quia unicam illam debet tenere in manibus, & elevare, quæ pro illa Missa est destinata; & aliæ consecratæ debent remanere in loco, in quo à principio Missæ positæ sunt, usque ad Sacerdotis Celebrantis communionem; nisi adsit necessitas, prius expediendi Communionem populi.

Errat Sacerdos, qui ante consecrationem hæret aut pausat; ibi enim non est immorandum; & intentio consecrandi in momento renovari potest.

Item qui in consecratione unum pedem supra alium ponit, aut quasi inflexum tenet; quia debet retinere pedes æqualiter in suppedaneo.

Item qui profert verba consecrationis voce intelligibili: quia debet illa proferre

ita secretò , ut solùm ipfemet se audiat , & ab aliis non audiatur , nec ullo modo ab astantibus intelligatur.

Item qui repetendo , vel afflando , aut inhalando consecrat.

Item qui motus oris , faciei , aut capitis faciendo , verba profert.

Item qui osculando , aut quasi osculando consecrat ; hæc enim , & similia sunt indecentia , risum moventia , & reprehensione digna.

Item qui per pausas profert verba consecrationis ; quia debent unico contextu , nullâ interpositâ morâ inter unam vel aliam vocem , pronunciari.

Item qui præcipitanter , vel non usque ad terram genuflectit ; quia genuflexio SS. Sacramento exhibenda debet fieri cum majori reverentia , & ideo cum aliqua morula.

Item qui Hostiam præcipitanter , vel non sufficienter , aut non perpendiculariter elevat .

Item qui oculos in eam intentos non habet.

Item qui eam admovet ori , aut fronti , vel supra caput tenet ; debet enim eam elevare maxima cum reverentia , lineâ rectâ intra corporale , non nimis lentè , nec nimis properanter , ad tantam altitudinem , ut à circumstantibus , etiam post ipsum existentibus conspici & adorari possit : debet etiam in elevatione , & depositione , ac adoratione

habere oculos in eam semper intentos. In elevatione jungat digitos, & imas partes manuum; ut sic solidiùs, & decentiùs Hostiam elevet: nec diu, sed parumper eam elevatam teneat.

Errat Sacerdos, qui utraque manu reponit Hostiam; quia sola manu dextera debet eam reverenter reponere super Corporale in eodem loco, unde eam levavit, sinistra manu posita super Corporale.

6. *Repositâ Hostiâ consecratâ, &c.*

Si adsit vas cum aliis Hostiis consecratis, Sacerdos repositâ Hostiâ super Corporale, & facta genuflexione, illud cooperit, & recondit post Calicem, non super aliud Corporale, nec intra tabernaculum; cum enim illæ particulæ pertineant ad idem Sacrificium, non licet eas auferre, nisi peractô Sacrificiô: & ideo nec populo priùs sunt dispensandæ. Si autem urgente aliqua necessitate priùs transferri deberent ad aliud Altare, aut populo distribui, tunc Celebrans cedens locum Sacerdoti accedenti, retrahat se ad cornu Evangelii, & ibidem genuflexus utroque genu adoret Sacramentum: si autem tunc est in cornu Epistolæ, idipsum ibi præstet.

Eodem modo debet Celebrans se gerere, quando alius Sacerdos sub Missa ratione communionis populi, aut infirmorum ex tabernaculo accipit, aut ad illud reponit SS. Sa-

cramentum: Sacerdos autem non debet accedere, dum Celebrans est in medio orationis, aut actionis cujusdam; sed expectet aliquantulum, donec Celebrans orationem illam, aut actionem terminaverit; nisi urgeat necessitas ratione moribundi. Si Celebrans tunc est in medio Altaris, potest ipsemet Ciborium reponere, sed cum genuflexione prius & postea: alter autem debet interim genuflectere.

Errat minister, qui ante consecrationem Hostiæ non accendit cereum ad cornu Epistolæ; qui non est extinguendus, nisi postquam Sacerdos Sanguinem sumpserit, & alios communicaverit in Missa.

Item qui apprehendens, aut dimittens Planetam, eam osculatur; quia Rubrica hinc nihil dicit de osculo; & per oris contactum Planeta deturpatur.

Item qui Planetam nimium, aut ineptè elevat, vel eam trahit, quia minister, si è loco suo Planetam commodè elevare non potest, debet ante consecrationem, propius accedere, & paulò post Sacerdotem, ad ejusdem dexteram genuflexus, super altiorem gradum, si plures sint, manu sinistra elevare partem inferiorem posterioris Planetæ, ne Celebrantem impediatur in elevatione brachiorum: manu autem dextera pulset campanulam, tam ad elevationem Hostiæ, quam ad elevationem Calicis. & pulset ter, aut continuatè ad unamquamque elevationem, quo-

usque Sacerdos deponat Hostiam , & postea Calicem super Corporale.

Dum Hostia elevatur , minister , in quantum potest , se inclinet , & postea pulset , dum Sacerdos genuflectit , dum Hostiam elevat , dum eam deponit super Corporale , & non amplius , dum Sacerdos postea genuflectit : & eodem modo se gerat ad elevationem Calicis.

Hic notandum est sequens Decretum. *In Processionibus , quæ fiunt per Ecclesias sine SS. Sacramento , non est pulsanda campanula ad ad elevationem in Missa privata , quòd si pulsetur , & advertatur elevatio , tunc genuflectendum est utroque genu à transeuntibus ante Altare , ubi Missa celebratur , & deposito SS. Sacramento procedendum est. Similiter si alii transeant in elevatione Calicis. S. R. C. 1. Martii 1681.*

7. *Celebrans adorato Sacramento , &c.*

Errat Sacerdos , qui discooperit Calicem ante genuflexionem factam , vel in ipsa genuflexione post depositam Hostiam super Corporale ; quia debet post genuflexionem , manu sinistra super Corporale posita , dexterâ , pollice & indice unitis , Pallam accipere , eamque ponere super extremitatem veli prope Corporale , ut sic eam faciliùs postea levare possit.

Errat Sacerdos , qui Calicem aliquantulum

lùm elevandum non ambabûs manibûs juxta nodum infra cuppam erectus tenet.

Elevato aliquantulùm Calice , ità ut à populo non videatur , teneat adhuc eum manu sinistra , uti priùs ; & dicens , *benedixit* , dexterâ signet super eum.

Errat Sacerdos , qui sub consecratione Calicem utraque manu juxta nodum tenet.

Item qui erectus consecrat.

Item qui Calicem ad os suum inclinat , aut os intra Calicem ponit.

Item qui aliud quidquam committit ex dictis hìc n. 5. ; debet enim facta super Calicem Cruce , & dictò , *bibite ex eo omnes* , apprehendere Calicem utraque manu , videlicet sinistrâ pedem , dexterâ nodum infra cuppam , & cubitìs super Altare positìs , ac capite inclinato tenere Calicem parùm elevatum , & erectum , non supra Hostiam , sed supra locum , unde eum levavit , ac proferre verba consecrationis , uti dictum est de consecratione Hostiæ n. 5.

Errat Sacerdos , qui in elevatione Calicis , vel postea dicit *Hæc quotiescunque* , &c. ; quia hoc dicere debet statim post consecrationem , reponendo Calicem super Corporale.

Item qui Calicem elevando , solùm extremitate digiti , aut digitorum manus sinistrae ejus pedem tangit , quia debet genuflexione facta , absque alia inclinatione , Calicem utraque manu , uti priùs accipere , & elevare ,

re, non supra Hostiam, sed supra locum, unde eum levavit, perpendiculariter absque ulla circulatione, aut inclinatione Calicis, &c. uti dictum est n. 5. de elevatione Hostiæ.

Minister sic se gerat, ut in elevatione Hostiæ, & reposito, ac adorato Calice, surgat (si non remansit in priori loco) genuflectat in medio, & se retrahat ad infimum gradum à cornu Epistolæ, deponendo campanulam in suo loco.

De Canone post Consecrationem usque ad Orationem Dominicam.

TITULUS IX.

I. **R** *Epósito Calice, &c.*

Errat Sacerdos, qui in elevatione, aut repositione Calicis, aut genuflectendo dicit. *Unde & memores, &c.*; quia non prius, nisi reposito, & adorato Calice, & extensis ante pectus manibûs, secretò dicendum est, *Unde & memores, &c.*

Item qui ad *supplices te rogamus, &c.* non profundè se inclinat.

Item qui manus junctas intra Corporale ponit; quia orationem *supplices te rogamus* debet incipere & dicere profundè inclinatus (ut habet Canon Missæ) manibûs junctis super Altare positis modò à Rubrica tit. IV. n. 1. præscriptò; præterquam, quòd pollices, & indices non disjungantur.

2. *Cùm dicit memento, &c.*

Er-

Errat Sacerdos, qui clara, aut mediocri voce dicit, *Memento*.

Item qui ad *Memento* non extendit manus, &c. quia junctis in conclusione antecedentis deprecationis manibus debet eas iterum extendere, & conjungere, dicens secretò, *Memento Domine*, &c. manusque tenere ante pectus usque ad faciem, id est usque ad mentum; non ante faciem, neque digitos ponendo ad labia; oculis non clausis, nec ad Crucem, aut aliò, sed ad Sacramentum super Altare intentis, &c. ut tit. VIII. n. 3. de memento vivorum dictum est.

Errat Sacerdos, qui post *Memento* facit inclinationem.

3. *Cùm dicit, &c.*

Errat Sacerdos, qui ad nobis quoque peccatoribus se inclinat.

Item qui dicta tria verba voce clara, aut submissa dicit; quia debet ea dicere voce aliquantulum elata, id est mediocri, & sequentia secretò. Et ad dicta tria verba debet manum sinistram ponere super Corporale, dexteram verò, hoc est, tribus digitis inferioribus, modestè ita sibi percutere pectus, ne pollex, & index juncti tangant planetam, quod post consecrationem semper est observandum.

*De Oratione Dominica, & aliis usque ad
factam Communionem.*

TITULUS X.

I. **C**elebrans cooperto Calice, &c.
Errat Sacerdos, qui ante genuflexio-
nem, vel in ipsa genuflexione dicit, *Per omnia
secula, &c.*; quia debet hoc dicere facta ge-
nuflexione, erectus, & manibûs extensis in-
tra Corporale positis.

Item qui non jungit manus ad *Oremus*,
vel eas junctas non tenet ante pectus usque
ad *Pater noster*.

Item qui sub *Pater noster* non habet ocu-
los intentos ad Sacramentum; nisi legat *Pa-
ter noster* ex libro.

Item qui responsò à ministro, *sed libera
nos à malo*, intelligibili voce dicit, *Amen*.

Item qui accipit Patenam antequam ter-
minaverit totam orationem dominicam; quia
debet eam accipere, postquam submissa vo-
ce dixit, *Amen*.

Item qui manu sinistra Patenam exter-
git; quia responsò à ministro, *sed libera
nos à malo*, & à Celebrante submissa voce
Amen, manu dextera, pollice & indice non
disjunctis, Patenam aliquantulum Purifica-
toriò extergens, eam accipere debet inter
indicem, & medium digitos, eamque te-
nere super Altare id est super Corporale,
aut super Purificatorium erectam; ita, ut
pars

pars Patenæ concava Hostiam respiciat, sinistra manu super Corporale posita: debet autem Patenam leviter tenere, non eam premere quasi vellet scindere Corporale, aut Purificatorium.

2. *Antequam Celebrans, &c.*

Errat Sacerdos, qui se signando cum Patena, manum sinistram tenet super Corporale.

Item qui non signum Crucis, sed confusionem in aere facit; quia debet manu dextera Patenam elevare, eaque se ipsum signare signô Crucis integrô, in frone, pectore, & utroque humero, tenendo manum sinistram infra pectus; deinde osculatur Patenam, non in parte, per quam transitura, vel collocanda est Hostia.

Errat Sacerdos, qui post osculum Patenæ, eam extergit.

Post osculum submittit Patenam Hostiæ, & Patenam collocat in medio Corporalis, ita ut ejus pars superior sit elevata super pedem Calicis, si pes ad hoc est idoneus; ut postea Patena commodius capiatur & fragmenta, si quæ sunt super Corporale, non adhæreant Patenæ partibus externis.

Errat Sacerdos enormiter, qui Patenæ extremitates volvit super Hostiam, eo fine, ut facilius, ac rectius dividatur: hoc enim est illicitum, tam ante, quam post consecrationem Hostiæ.

Submissâ Hostiæ Patenâ , discooperit, manu dextera Calicem, tenendo manu sinistra nodum Calicis ; postea extensîs manibûs , hinc inde super Corporale positîs , genuflectit , surgit , & premendo indice sinistrae manûs partem lateralem Hostiæ , pollice , & indice dexteræ manûs eam apprehendit in medio , ac solâ dexterâ elevat super Calicem , ac adhibendo etiam manum sinistram , pollicibûs , & indicibûs eam reverenter frangit (non lacerando) per medium, incipiendo à superiori parte Hostiæ: frangit autem per rectam lineam , non unico icu , diligenter , & attentè , ne dividatur in fragmenta , & frangit in partes æquales: estque comodissimus modus frangendi , ut in suprema , media & infima parte medietatis ab initio fiat modica fractura , & postea tota Hostia frangatur. De alia parte Hostiæ , quam manu sinistra tenet super Calicem , debet frangere particulam ex parte inferiori. Ita S. R. C. 4. Aug. 1663. Et particula tenenda est non solum supra , sed etiam intra os Calicis. Errat Sacerdos , qui cruces format cum solis pollice & indice ; quia debet cum tota manu dextera , & cum ipsa particula ter signare à labio ad labium Calicis.

Item qui ante , vel post immissionem particulæ in Calicem dicit , *Hæc commixtio* , &c. ; quia debent hæc secretò dici , dum particulam immittit.

Item

Item qui ante genuflexionem, vel in ipsa genuflexione incipit dicere, *Agnus Dei, &c.*

Item qui ad *Agnus Dei* profundè se inclinat, aut solum caput inclinat.

Item qui ponit manus junctas super Altare; quia facta genuflexione debet stare junctis manibus ante pectus, non super Altare positis, & inclinatus (ut habet Canon Missæ) id est mediocriter inclinatus versus Sacramentum, dicere intelligibili voce, *Agnus Dei, &c.* Dum dicit primum *miserere nobis*, disjungit manus, ponendo sinistram super Corporale, dexteram percutiendo pectus, uti dictum est tit. IX. n. 3. & deindè non jungit manus, sed iterum percutit sibi pectus, &c.

3. *Tunc manibus junctis super Altare, &c.*

Errat Sacerdos, qui manus junctas ponit intra Corporale.

Item qui solum caput inclinat, aut profundè se inclinat; quia debet esse mediocriter inclinatus ad orationes ante Communionem dicendas, manibus junctis super Altare positis, ut tit. IV. n. 1. habetur.

Cum danda est Pax, minister dicto tertio *Agnus Dei*, genuflectit supra suppedaneum ad dexteram Celebrantis, & porrigit ei non procul à facie instrumentum Pacis osculandum, ne Celebrans cogatur movere corpus, aut faciem multum avertere à SS. Sacramento.

Dicta prima oratione Celebrans osculatur
 E Alta-

Altare in medio, & postea instrumentum Pacis, ac dicit intelligibili voce: *Pax tecum.* Minister eadem voce respondet: *Et cum spiritu tuo.* Postea pergit ad dandam Pacem, primò Prælati, deinde aliis secundum dignitatem, & morem, dicens intelligibili voce: *Pax tecum;* & singuli respondent, *Et cum spiritu tuo;* ac facit unicuique reverentiam post datam Pacem. In Choro data Pace superiori, datur omnibus in subsellio dexteræ Chori existentibus; postea omnibus ad sinistram; deinde aliis Sacerdotibus, & Clericis, ac tandem laicis, ubi moris est.

4. Si verò celebret pro defunctis, &c.

Errat Sacerdos, qui celebrando in nigris, ad *Agnus Dei* ponit manus super Altare; quia debet eas junctas tenere ante pectus usque ad *dona eis requiem sempiternam* inclusive.

Item qui genuflectit, antequam totaliter terminaverit orationes.

Item qui incipit dicere, *Panem cælestem accipiam,* &c. ante genuflexionem; quia dictis orationibus debet genuflectere, & se erigens dicere *Panem cælestem,* &c.

Postea accipit Hostiam de Patena indice & pollice dexteræ manus adjuvante pollice & indice sinistræ manus, & collocat eam inter pollicem & indicem sinistræ, ita, ut ambæ partes forment figuram rotundam; deinde supponit Patenam inter indicem & medium digi-

digitos ejusdem manus ; eamque sustinet quatuor circiter digitis à Corporali elevatam.

Errat Sacerdos, qui sub *Domine non sum dignus*, manet erectus, aut profundè inclinatus.

Item qui manum, vel cubitum super Altare ponit, nisi exigua sua statura hoc exigat.

Item qui Patenam extra Corporale tenet.

Item qui præcipitanter, aut clara, vel submissa voce dicit, *Domine non sum dignus*.

Item qui verba sequentia eadem voce dicit.

Item qui Hostiam elevat, ut à populo videri possit.

Item qui caput contorquet, vel pedem incurvat, aut quasi genuflectit, vel ad partem se vertit.

Item qui oculos claudit, aut aliò aspicit; quia debet oculis intentis in Sacramentum, mediocritè inclinatus, voce mediocri, maxima cum devotione & reverentia dicere: *Domine non sum dignus*; sequentia verò secretò.

Errat Sacerdos, qui Patenam, & non se ipsum Crucis signò cum Hostia signat.

Item qui ad nomen JESU caput non inclinat; debet enim, *Domine non sum dignus* & sequentibus tertio dictis, superimponere unam partem Hostiæ alteri inter pollicem & indicem manus dexteræ subtus tenens patenam in sinistra, & erectus se signare su-

pra patenam manu dextera , signò crucis palmari per lineam descendantem , ac postea transversam , ita ut Hostia non egrediatur limites Patenæ , interim dicens secretò ; *Corpus Domini nostri , &c.*

Errat Sacerdos , qui factò signò crucis cum Hostia , in meditatione hæret ; quia non ante , sed post sumptionem Hostiæ Rubrica meditationem præscribit ; neque hìc tempus est se præparandi ad communionem : nam hoc fieri debet ante Missam , & ipsa Missa est etiam præparatio ad communionem : sicut proinde Sacerdos omnibus aliis , dictò *Corpus Domini nostri , &c.* immediatè porrigit Hostiam ; ita & ipse eam sumere debet.

Errat Sacerdos , qui Hostiam sumit erectus ; quia dictò *Corpus Domini nostri , &c.* debet se inclinare , & ponere cubitos super Altare , ac reverenter , & lentè ore modestè aperto , absque linguæ expositione , ambas partes Hostiæ sumere , easque super linguam moderatè mollificare , ac intactas , quantum fieri potest , deglutire , nullatenus dentibùs comminutas. Quòd si palato , vel dentibùs aliquod fragmentum adhæreat ; non digitò , sed linguâ revellat ; & ubi facilè non potest , tunc sanguine , & ablutionibùs deglutiât.

Errat Sacerdos , qui post sumptionem Hostiæ statim incipit , *Quid retribuam &c.* quia depositâ Patenâ super Corporale debet erectus , manibùs ante faciem (non supra faciem

ciem, aut os) junctis quiescere aliquantum in meditatione SS. Sacramenti.

Item qui post genuflexionem dicit: *Quid retribuam*, &c. quia debet hoc dicere, dum discooperit Calicem.

Item qui in collectione fragmentorum non adhibet debitam diligentiam; vel qui in ea, aut abstergenda Patena nimium se detinet cum nausea astantium.

Item qui manu sinistra extergit Patenam.

Item qui pollice & indice junctis eam extergit.

Item qui colligit fragmenta, dum particulae consecratae adhuc sunt super Corporale; quia collectio fragmentorum fieri debet, postquam particulae sunt ablatae, & positae ad tabernaculum, prout statim dicitur.

5. *Si verò adsint Hostiae, &c*

Errat Sacerdos qui Hostias consecratas reponit post sumptionem Sanguinis, dum in Missa nullus est communicandus; quia particulae consecratae, quae in nullo vase sunt super corporale, debent reponi antequam Sacerdos dicat, *Quid retribuam Domino*, &c. Si autem in vase sunt consecratae, tunc sunt reponendae sumpto Sanguine, & facta prima purificatione ante ablutionem digitorum, cum genuflexione ante & post repositionem.

Errat Sacerdos, qui pro sumptione Sanguinis accipit Calicem juxta, aut supra no-

dum; quia hîc debet accipi infra nodum
cuppæ.

Item qui se signans, Patenam supponit
Calici.

Item qui Calice non se, sed Patenam,
aut mensam Altaris signat; debet enim Ca-
lice formare signum Crucis, sicut de Hostia
num. præcedente dictum est.

Item qui in sumptione Patenam sub Cali-
ce tenet declivam.

Item qui Patenâ tangit mentum, aut bar-
bam.

Item qui sumpto Sanguine, aut purifica-
tione, Calicem sæpius lambit, lambitat, aut
fugit: debet enim post extersionem Patenæ
dextera manu accipere Calicem infra nodum
cuppæ, sinistrâ Patenam, secretò dicens: *Ca-
licem salutaris, &c.* Postea signans se extra
Patenam signò crucis cum Calice dicere se-
cretò: *Sanguis Domini nostri &c.* deinde manu
sinistra supponit Patenam Calici, & stans re-
verenter sumit totum Sanguinem cum Parti-
cula in Calice posita, semel ori admovens
Calicem.

Errat Sacerdos, qui porrigendo Calicem
pro infusione vini, manu sinistra Patenam
tenet elevatam; quia debet interim eam te-
nere super Corporale.

Item qui extra Altare porrigit ministro
Calicem pro infusione vini; nisi minister sit
talis staturæ, quòd non valeat pertingere.

Monet S. Pius V. in quadam Epistola , ut vinum pro purificatione Calicis sit in ea saltem quantitate, qua fuerunt species Sanguinis; & ut sumatur ablutio per eandem partem Calicis, per quam Sanguis Christi haustus est.

Errat Minister, qui pro fundendo vino & aqua non accedit ad Sacerdotem.

Item qui penes ampullam tenet Rosarium, aut libelum; debet enim habere manus liberas ab omni alia re, dum porrigit ampullas, dum fundit vinum, aut aquam.

Item qui quasi cum timore, & guttatim vinum & aquam fundit.

Item qui absque reverentia infundit; debet enim infundere cum quasi osculis ampullarum, & capitis inclinatione, animosè & liberalitèr, donec Sacerdos det signum desinendi; & debet attendere, ne ampulla tangat Calicem, vel manus Sacerdotis, & ne fundendo retrahat ampullam, aut extra Calicem fundat.

Errat Sacerdos, qui Patenam Pallâ tegit, antequam sit posita super Calicem.

Item qui solo vino, aut solâ aquâ digitos abluat.

Item qui digitis labia Calicis, vel oris sui detergit, aut digitos lambit.

Si Celebrans aliis digitis, aut alia manûs parte tetigerit Hostiam consecratam, tunc in

ablutione hac etiam partem abluat, & Purificatoriô abstergat.

Errat Sacerdos, qui Purificatoriô abstergit nares, aut eas tangendo illud inquinat.

Item qui extendendo Purificatorium super Calicem, illud ita distendit, quasi lacerare vellet.

Item qui Patenam Pallâ tectam super Calicem ponit.

Item qui velat Calicem ante plicationem Corporalis.

Item qui Calici in medio posito imponit Velum, & Bursam.

Item qui Calicem non totum tegit à parte anteriore; quia Rubrica in Calice vestiendo hunc ordinem præscribit: *Purificatorium extendit super Calicem, & desuper Patenam, ac super Patenam parvam Pallam* (postea ponat Calicem extra Corporale ad latus Epistolæ, ut manu sinistra valeat accipere Bursam ex cornu Evangelii) *& plicatò Corporali, quod reponit in Bursam, cooperit Calicem velò, & Bursam desuper ponit, & collocat in medio Altaris, ut in principio Missæ.* Ergo debet velari Calix, ut in principio Missæ totaliter à parte anteriori; secùs hæc verba, *ut in principio Missæ*, vel essent supervacanea & inutilia, vel solùm caderent supra locum, in quo debet collocari Calix. Primum sentire, nefas est. Sed nec secundum dici potest; quia sic revera dici deberent inutilia dicta verba;

cùm

cùm omnibus positis super Calicem, expressè Rubrica de eo dicat, *collocat in medio Altaris*: ergo quæ sequuntur, videlicet, *ut in principio Missæ*, intelligi non possunt, nisi de velo, quo tegendus est totus Calix in parte anteriori, *ut in principio Missæ*: hoc firmatum est 1. Martii 1698. à S. Rituum Congregatione declarante, Calicem in fine Missæ cooperiendum esse velo in anteriori parte, prout ante confessionem.

6. *Si qui sunt communicandi, &c.*

Errat Sacerdos, qui ante aliorum communionem in Missa faciendam, porrigit ministro Calicem pro fundendo vino.

Item qui non intra Missam hoc loco, sed extra Missam aliis dat communionem, si pauci sint; quia Missæ Ritus præscribit communionem hoc loco faciendam; & orationes, quæ dicuntur in Missa post Celebrantis communionem, non solum ad illum, sed etiam ad alios spectant communicantes; quo fructu privantur illi, qui ante, vel post Missam communicant. Si autem multi sunt communicantes, aut alia rationabilis adsit causa, potest communio populi differi usque post Missam. Optimus autem modus in tali casu est iste, ut Celebrans incipiat hoc loco dare communionem, & alius Sacerdos superpelliçeo, ac stolâ albâ indutus accedat, & communionem compleat. In tali casu accedens genuflectit utroque genu, ac à Celebrante

stante accipit Ciborium; quo accepto statim surgit; Celebrans autem traditô Sacramento facit genuflexionem unico genu, juxta hanc regulam, quòd dans SS. Sacramentum debeat stare, & illud recipiens esse genuflexus.

Observato in Missa hoc ordine, ea ob aliorum communionem non detinebitur, & Ritus à Rubrica præscriptus implebitur.

Minister debet tempore debito extendere linteum album, nunquam fordidum, aut immundum; & debet attendere, ne linteum unquam ponatur super suppedaneum, aut gradum Altaris, vel ad alium locum inquinatum, aut pulveribus infectum: sicut nec ampullæ, aut aliæ res in tali loco deponendæ sunt.

Post Sumptionem sanguinis minister in cornu Epistolæ genuflexus, capite versùs Celebrantem inclinato dicit clara voce Confiteor, &c.

Errat Sacerdos, qui particulam, seu particulas consecratas ponit super Patenam, antequam fecerit genuflexionem.

Item qui terga vertit Sacramento.

Item qui cum SS. Sacramento non in medio Altaris se vertit ad populum.

Item qui aspicit populum; quia si Particula, seu Particulæ pro communicandis sunt super Corporale, & non in vase, Sacerdos immediatè post sumptionem sanguinis coope-

rit

rit Calicem Pallâ , genuflectit , & postea ponit Particulam , seu Particulas super Patenam , aut ad Ciborium : deinde iterum genuflectit , surgit , & manibus junctis ante pectus vertit se ad populum , parùm se retrahendo ad cornu Evangelii , humeris illuc conversis , ita ut facies convertatur simul ad populum , & ad latus Epistolæ , ne terga vertat Sacramento ; ibique dicit clara voce. *Misereatur vestri , &c.* nunquam tui , etiamsi unicus sit communicandus. Sub *Indulgentiam , &c.* facit manu dextera Crucem super communicandos , sinistrâ extensâ infra pectus positâ , pollicibûs & indicibûs conjunctis. Postea vertit se ad Altare , & facta genuflexione accipit manu sinistra inter indicem , & reliquos digitos inferiores Patenam , seu ciborium , manu verò dextera unam Particulam inter pollicem , & indicem , eamque tenet super Patenam , seu Ciborium : vertit se ad populum in medio Altaris , humeris versis ad medium Altaris , etiamsi SS. Sacramentum sit expositum , & communicandi non in medio , sed in cornu Epistolæ , aut Evangelii essent ; elevat aliquantulum Particulam super Patenam , seu Ciborium , & oculis ad Sacramentum semper intentis , dicit voce clara : *Ecce Agnus Dei , &c.*

Nullatenus admittatur , ut ullus communicandus sibi supponat libellum , Planetam , aut Stolum Sacerdotis ; quia debet esse lineum ,

teum ,

reum , quod lavandum est , si deciderit particula : quomodo autem lavabitur libellus , Planeta , aut Stola ? nonne ad destructionem ? Si autem linteum non adsit , detur communicandis aliquod strophium mundum , & absque tali nullus communicetur.

Errat Sacerdos , qui non incipit porrigere Sacramentum iis , qui sunt ad latus , vel versùs latus Epistolæ , absque respectu personarum.

Item qui signò Crucis excedit Patenam , aut Ciborium.

Item qui Hostiâ signat Patenam aut Ciborium , & non communicandum ; debet enim signare signò Crucis palmari per lineam descendantem , &c. uti hìc n. 4. dictum est.

Item qui post *Corpus Domini nostri* , &c. addit *Pax tecum*.

Item qui non dicit voce clara : *Corpus Domini nostri* , cum omnibus sequentibus ; quia omnia clarè dicenda sunt.

Quando digiti Sacerdotis salivà communicantium sunt humefacti , diligenter eos revideat apertos supra Patenam , aut Ciborium ; & si deprehenderit adhærere aliquod fragmentum , tunc eos fricando , reponat fragmenta ad Ciborium , aut super Patenam : postea pollicem & indicem junctos , non apertos , abstergat Purificatoriò ; vel verò abluat digitos in vasculo ad hunc finem preparato , aut in vase purificationis , quæ por-

rigit.

rigitur communicatis, eosque abstergat Purificatoriô, & prosequatur distributionem Communionis.

Purificatorium autem, quod hîc adhibetur, debet esse distinctum ab eo, quod est pro Missæ Sacrificio: debet esse semper mundum, non ut funis ligatum ad Ciborium, nec pes Ciborii sit circumplicatus Purificatoriô; sed Purificatorium hoc decenter complicatum asservetur in tabernaculo mundum penes Ciborium.

Errat minister, qui communicatis porrigit solum vinum, aut solam aquam; quia debet habere in vase vinum & aquam pro purificatione.

Item qui communicatis porrigit purificationem, dum Hostiam adhuc habent in ore.

Item qui ad abstergendum os porrigit mappulam immundam.

Potest etiam administrari Eucharistia intra Missam defunctorum; quod clarè constat tum ex concilio Tridentino, tum ex Rubrica Missalis. Concilium sess. 22. de Sacrificio Missæ cap 6. sic habet: *Optaret quidem sacrosancta Synodus, ut in singulis Missis fideles astantes, non solum spirituali affectu, sed sacramentali etiam Eucharistia perceptione communicarent, &c.*

Rubrica Missalis defunctorum, post communionem factam à Celebrante, sic præscribit *Si qui sunt communicandi, eos communi-
cet, antequam se purificet.* Ajunt

Ajunt quidam existere sequens Decretum: *Sacerdos in Missa de Requiem non potest populo ministrare Eucharistiam cum Particulis existentibus in Pyxide potest tamen ministrare particulas à se consecratas in eadem Missa.* S. R. C. 2. Aug. 1705. Sed omni diligentia adhibita in evolvendis Registris S. R. Congregationis tale decretum reperiri non potuit; unde habetur pro suppositio; idem dicendum est de aliis hujusmodi decretis, si quæ adducantur, prout unum adducitur de anno 1741. nisi de talibus authenticè constet: nam Tridentinum, & Rubrica absolutè & generaliter loquuntur, quibus S. Congregatio non contradicit. Nulla prorsus est distinctio inter Particulas prius, & in eadem Missa consecratas; & æquè illæ, ac istæ pro communione populi destinatæ sunt. Ergo certum est, quòd etiam in Missa defunctorum, liceat administrare Eucharistiam ex quibuscunque particulis consecratis: quod diffusè probat Cajetanus Ma. Merati in *Thesauro sacrorum Rituum tom. 1. Part. 2. tit. 10. à n. 28.*: & confirmatur in libello decretorum anno 1743. Florentiæ impresso. Post Missam verò, & extra Missam, in Paramentis nigris, vel cum stola nigra nunquam licet administrare Eucharistiam, vel Eam exponere.

Si Particulæ fuerunt consecratæ in vase, tunc Sacerdos post sumptionem Sanguinis, recto Calice, & aperto vase, facit genuflexio-

flexionem, vertit se ad populum communicandum, &c. ut supra.

Quando autem Pyxis est in Tabernaculo, tunc post sumptionem Sanguinis, tecto Calice, aperit Tabernaculum, facit genuflexionem; postea erectus extrahit Pyxidem, eamque collocat super Corporale. Si in Tabernaculo remaneat vas aliud cum Particulis consecratis, aut Ostensorium, claudit ostiolum. Postea Pyxidem aperit; iterum genuflectit, & erectus manibus junctis ante pectus, vertit se ad populum, &c. ut supra.

Omnibus communicatis revertitur ad Altare, deponit Pyxidem super Corporale, genuflectit, erectus eam cooperit, ac intra tabernaculum reponit, iterum genuflectit, & erectus tabernaculum claudit.

Errat Sacerdos, qui post Communionem in Missa dat benedictionem; in Missa enim nulla datur benedictio; quia illam daturus est in fine Missæ.

Si remanserint aliquæ Particulæ Consecratæ, sive super Corporale, sive super Patenam, sive in Pyxide, & non adsit custodia, in qua Pyxis reponi possit; tunc Celebrans sine alia genuflexione, illas reverenter absomit, & postea purificat Pyxidem; ut statim dicetur.

Si post Communionem populi nulla remanserit Particula in Pyxide, tunc Celebrans purificet Pyxidem ab omni fragmento, faciens

ciens illud cadere indice manus dexteræ in Calicem; deinde infundat paululum vini, illud circumagat, & infundat postea in Calicem, ac Purificatoriô undequaque extergat Pyxidem interiorem.

Est vetustissima consuetudo, ut propter infirmorum, & aliorum Communionem particulæ consecratæ asserventur: sed hæ sæpius debent mutari, tempore præsertim æstivo, ne corrumpantur. Synodus Turonensis præscribit, ut mutantur de septimo in septimum diem. Dum mutantur, absumantur antiquiores, & purificata Pyxide, immitantur recenter consecratæ.

Debet autem semper ardere lumen ante Altare, ubi sacra asservatur Eucharistia; quod patet ex Rituali romano Pauli V. summi Pontificis; estque immemorabilis totius Ecclesiæ consuetudo. Tenentur proinde Rectores Ecclesiarum curare, ut nunquam desit lumen ante Augustissimum Eucharistiæ Sacramentum; quia prædicta Ecclesiæ consuetudo ex communi fidelium sensu vim legis obtinuit. Quòd si ex negligentia Rectorum, vel Ecclesiæ ministrorum per notabile tempus, e. g. per integrum diem lampas coram tabernaculo non sit accensa; sciant; quòd non leve committant peccatum; prout videre poterunt apud doctores.

7. *Si in Altari remaneant, &c.*

Quomodo Sacerdos se gerere debeat, dum
in

in Altari remanent particulæ consecratæ, præscribit Missale fer. V. in Cœna Domini, & dicetur hîc infra *Parte 3. cap. 2.* ubi agetur de Missa celebranda coram SS. Sacramento.

De Communionem, & Orationibus post Communionem dicendis.

TITULUS XI.

I. **C**elebrantei purificato, &c.
Errat Sacerdos, qui claudit librum, aut redit ad medium Altaris, antequam totaliter terminaverit orationem, aut orationes; quia his terminatis, & non prius debet manu dextera claudere librum, ut pars libri clausa Calicem respiciat. Postea junctis ante petus manibus, & oculis ad terram demissis revertitur ad medium Altaris.

Errat Sacerdos, qui vertens se ad populum, vel revertendo ad Altare dicit, *Ite missa est*; quia hoc debet dicere stans versus populum.

Item qui dicit. *Benedicamus Domino*, vel *Requiescant in pace* versus populum, vel revertendo ad Altare; quia hæc debet dicere stans versus Altare.

De Benedictione in fine Missæ, & Evangelio S. Joannis.

TITULUS XII.

I. **D**icto *Ite Missa est*, &c.
Errat Sacerdos, qui dicit, *Placeat* &c. antequam sit reversus ad Altare.

Item qui sub oratione *Placeat* profundè se inclinat; quia Rubrica sic præscribit: *Celebrans ante medium Altaris stans junctis manibus super eo positis, & capite inclinato dicit. Placeat, &c. Quo dicto extensis manibus hinc inde super Altare positis, ipsum in medio osculatur: tum erigens se, adhuc stans versus illud, elevat ad Cælum oculos, & manus, quas extendit, & jungit (ante pectus) caputque Crucis inclinans, dicit voce intelligibili: Benedicat vos omnipotens Deus: & junctis manibus, ac demissis ad terram oculis, vertit se à parte Epistolæ ad populum, & extensa manu dextera, extensisque, & junctis omnibus digitis, manu sinistra infra pectus posita, unicam Crucem formando benedicit populo dicens: *Pater & Filius & Spiritus Sanctus*, minister respondet, *Amen.**

Errat Sacerdos, qui versus populum se inclinat.

Dum efformat Crucis lineam descendendo, dicit, *Pater & Filius*; & ad lineam transversam dicit, *& Spiritus Sanctus.*

Errat Sacerdos, qui dicit, *Dominus vobiscum*, antequam pervenerit ad cornu Evangelii; quia facta Cruce super populum, debet manibus junctis ante pectus, & oculis demissis, circulum perficiens, accedere ad cornu Evangelii, & ibi dicere voce intelligibili, *Dominus vobiscum.* Deinde deposita sinistra manu super Altare, pollice manus dexteræ signat

gnat primùm signò Crucis librum , si adsit , secùs tabellam Evangelii , aut Altare ; deinde sinistra manu infra pectus posita , seipsum in fronte , ore , & pectore , &c. uti dictum est *tit. VI. n. 2.* sed in fine non osculatur librum.

Etiã in Missa de Requiem errat Sacerdos , qui dicit , *Dominus vobiscum* , antequam pervenerit ad cornu Evangelii.

Item qui ad *Verbum Caro factum est* , genuflectit versùs medium Altaris ; quia debet versùs cornu Evangelii flectere ; nisi sit expositum SS. Sacramentum , de quo *Part. 3. cap. 2. n. 17.* dicitur.

Item qui responsò à ministro , *Deo gratias* , dicit , *semper Deo gratias.*

6. *Quibus omnibus absolutis , &c.*

Finitò Evangelio , si librò usus est Sacerdos , manu dextera illum claudit , ita ut pars libri clausa , non Calicem , sed cornu Evangelii respiciat.

Errat minister , qui extinguit candelam , aut candelas , antequam sit finitum totum Evangelium.

Item qui flatu , aut solis digitis , &c. eas extinguit ; quia candelæ non aliter , nisi emundatoriò , aut extinctoriò congruò semper sunt extinguendæ , cum attentione ; ut ellychnium sit benè extinctum , & nullum fumum , aut odorem edat. Hoc quoque in emungendis candelis semper est observandum : & minister

eas emungat toties, quoties opus fuerit, tempore obscuro præsertim.

Finitô Evangelio Sacerdos junctis manibus ante pectus, oculis demissis redit ad medium Altaris.

Errat Sacerdos, qui finitâ Missâ in medio Altaris quoquo modo se detinet.

Item qui post Missam aquâ benedictâ aspergit populum; quia debet statim in medio Altaris utraque manu revolvere partem anteriorem veli super Bursam; deinde sinistra manu accipere Calicem ad nodum, & dexteram ponere super Bursam, ne aliquid decidat. Tum aliquantum retrahens se versus cornu Evangelii, vertit se facie conversa versus cornu Epistolæ, & descendit tali modo, ut non vertat directè terga Cruci: deinde in plano ante infimum gradum se vertit ad Altare, & facit reverentiam, ut *Tit. II. n. 2.* dictum est. Postea, & non prius, accipit Birretum (quod minister immediatè manu, & non aliter, cum capitis inclinatione porrigere debet) ac se tegit.

Si Sacerdos ob defectum Sacristiæ, aut alterius loci congruentis sit dimissurus Paramenta ad Altare, in quo celebravit, tunc finitô ultimô Evangelio, accedit ad medium, & factâ ibi Cruci profundâ reverentiâ redit ad cornu Evangelii, ubi deponit Paramenta, modo mox dicendô.

Errat Sacerdos, qui redeundo ad Sacristiam,
vel

vel ad mensam, aut exuendo se apud Altare, dicit, *Te Deum laudamus*, vel canticum *Magnificat*, aut *nunc dimittis*, &c. quia præscribente Rubrica tunc dicenda est Antiphona *Trium puerorum*, &c. cum Cantico *Benedicite*, & cæteris in principio Missalis positis; & quidem voce submissa; ne Sacerdos intelligibiliter orando (quod plures absurdè faciunt) aliis sit molestus.

Errat Sacerdos, qui Birretum in manu, aut supra Calicem portat; quia Rubrica sic habet: *factâ reverentiâ accipit Birretum à ministro, caput cooperit, ac præcedente eodem ministro, eodem modo, quo venerat, redit ad Sacristiam, interim dicens Antiphonam Trium puerorum, &c.* Debet proinde redeundo omnia observare, quæ de ingressu ad Altare dicta sunt *Tit. II. n. I.*

Errat Sacerdos, qui post Missam, aut ingrediendo Sacristiam, vel eam ingressus, manu benedicit ministro, aut cuivis alii; quia sacris vestibûs indutus nihil aliud agere debet, nisi quod à Rubricis præscribitur.

Errat minister, qui ingreditur Sacristiam ante Sacerdotem; quia cum pervenerit ad januam Sacristiæ, debet sistere in ejus ingressu, & conversus ad Sacerdotem, ei se inclinare, ac ingredi post illum, ubi cum Sacerdote profundè se inclinat Cruci, vel imagini Sacristiæ: postea deponit Missale clausum in loco congruo, se sistit ad sinistram Celebrantis,

eumque adjuvat etiam ad dexteram in deponendis Paramentis.

Errat Sacerdos, qui ante ingressum, vel ingrediendo Sacristiam, discooperit caput; quia debet in Sacristia capite cooperto facere profundam inclinationem Cruci, vel imagini ejusdem, & deposito Calice caput discooperire. Deinde exuit Sacras vestes ordine retrogrado, scilicet: Planetam, Stolum, Manipulum, Cingulum, Albam, & Amictum, osculando Crucem Stolæ, Manipuli, & Amictûs.

Errat Sacerdos, qui Albam extrahit à parte posteriore supra caput, antequam eam demoverit à brachio sinistro.

Item qui eam priùs exuit à dextris; debet enim eam priùs dimovere à brachio sinistro, & tandem à dextro: & dum minister capit manicam dimovendam à brachio dextro, osculatur manum Celebrantis.

Depositis sacrîs vestibûs Celebrans lavat manus, præcipuè pollices, & indices, ad quasi deponendum illud sacrum, priusquam res manibûs tractet profanas. Ita Innocentius III. qui subdit, aquam hujus ablutionis debere in locum mundum honestè diffundi, ut altitudo Sacramenti reverentiùs honoretur.

*De his, quæ omittuntur in Missa
pro Defunctis.*

TITULUS XIII.

I. **M**issa pro Defunctis, &c.

Omnia hoc numero accuratè recensentur, quæ in Missa pro defunctis sunt omittenda; & utinam ita accuratè observarentur.

2. *In Missa solemni, &c.*

De incensatione in hac Missa facienda dicitur infra *Part. 3. cap. 3. num. 27.*

4. *Finitâ Missâ, &c.*

Finitô ultimô Evangelio. (si facienda est absolutio) Celebrans facta in medio Altaris Cruci profunda inclinatione, & à ministris genuflexione; retrahit se ad cornu Epistolæ, & cum ministris descendit per gradus laterales in planum, ubi conversus ad Altare deponit Planetam, & manipulum: ministri sacri quoque deponunt suos manipulos; & hæc deposita ponuntur super credentiam, vel in alio loco congruo, aut eo deficiente, super Altare. Celebrans accipit pluviale nigrum, si adsit, & procedit in plano ad medium Altaris. Postea procedunt ad faciendam Absolutionem hoc ordine: præcedit thuriferarius cum thuribulo in dextera, & navicula in sinistra manu, habens à sinistris alium Acolythum cum vase aquæ benedictæ, & aspersorio ac Rituali.

Sequitur Subdiaconus medius inter duos Ceroferarios, habentes Candelabra cum candelis accensis, deferens Crucem, quam sic tenet, ut imago Crucifixi sit versùs populum, & ipsi Subdiacono terga vertat.

Cruciferarius, & Ceroferarii nullam faciunt Altari reverentiam.

Si alii Clerici, aut Religiosi compareant ad Absolutionem, incedant bini post Cruciferarium, & transeuntes ante Altare majus, faciant profundam inclinationem, ante Tabernaculum SS. Sacramenti verò genuflexionem: & in loco Absolutionis faciendæ non faciant cumulum, sed ordinatim ex utraque parte Tumuli, seu Lecticæ se sistant.

Post dictos omnes sequitur Celebrans cum Diacono à sinistris, facta priùs Altari profunda inclinatione, vel si sit Tabernaculum SS. Sacramenti, facta genuflexione, recto postea capite ipse solus, manibùs ante pectus junctis

Subdiaconus cum Cruce sistit se ad pedes Tumuli, seu Lecticæ mortuorum contra Altare, medius inter duos Ceroferarios. Celebrans verò sistit se ex alia parte in capite loci inter Altare, & Tumulum aliquantulum versùs cornu Epistolæ in latere Evangelii, ita ut Crucem Subdiaconi respiciat.

A sinistris Celebrantis sit Diaconus, & prope eum duo alii Acolyths cum thuribulo, & aqua benedicta.

Cùm

Cùm Celebrans pervenerit ad suum locum, detegit caput, & dat Birretum Diacono: postea cantatur Responsorium, *Libera me Domine*, &c. & circa illius finem (non sub *Pater noster*) Celebrans ponit incensum in thuribulum: & dicto à Diacono *Benedicite Reverende Pater*, illud benedicit, dicens: *Ab illo benedicaris, in cujus honore cremaberis, Amen.* ✠

Finito Kyrie eleison, Celebrans dicit intelligibili, & clara voce, *Pater noster*, reliqua secretò proseguendo.

Intonatò *Pater noster*, Celebrans statim accipit à Diacono Asperforium sine osculis, & pergit ad aspergendum Feretrum (nequaquam manens in eodem loco, & aspergendo à longe) habens Diaconum à dextris, elevantem anteriorem partem Pluvialis; facta priùs profunda inclinatione Altari, vel si sit Tabernaculum SS. Sacramenti, facta genuflexione, una cum Diacono: procedit circumiens Feretrum per latus suum dexterum, id est in latere Evangelii, ter aspergens illius Feretri latus dexterum, scilicet in capite, in medio, & in pede. Quando transit ante Crucem Subdiaconi, profundè se inclinat. Deinde progrediendo, ter aspergit sinistrum latus ejusdem Tumuli, scilicet in pede, in medio, & in capite. Debet autem semper transire inter Feretrum, & Crucem, non verò retrò Crucem. Postea accipit thuribu-

ribulum, & factâ reverentiâ, ut supra, incensat ipsissimô modô.

Completa incensatione, & redditô thuribulô, ac factâ Altari debitâ reverentiâ, ut supra, stat in loco suo priori, versa facie ad Crucem Subdiaconi, & Diacono tenente librum apertum, dicit junctis manibus, *Et ne nos, &c.* ut ibi. Responsô ab aliis post orationem, *Amen*, Celebrans faciens Crucem manu dextera super Feretrum, sinistra pectori admotâ, dicit, *Requiem aeternam, &c.* Postea eodem ordine, quo venerunt, redeunt ad Sacristiam, faciendo debitas reverentias, ut supra.

Si sub Absolutione elevatur Sacramentum in aliquo Altari; nec Celebrans, nec alii genuflectunt; ne sacra interrumpatur actio: & rectius fiet, si in ea elevatione pulsatio campanulæ ommittatur à ministro.

Si fiat Absolutio absque ministris sacris, debent nihilominus omnia dicta, & dicenda respectivè ita observari.

Omnia prædicta etiam observanda sunt in Absolutione, dum defunctus est præsens; ita ut etiam tunc Cruciferarius, & Celebrans se sistant, uti supra dictum est, licet defunctus sit Sacerdos, capite versus Altare posito prout præscribit Rituale Romanum tit. *de Exequiis*. Et Cajetanus M. Merati in *Thesaurò Sacrorum Rituum tom. I. Part. 2. tit. 13. n. 24.* ex aliis demonstrat, quòd per hoc lex Ritualis

tualis Romani non violetur; & hæc est praxis omnium ferè Ecclesiarum, ut videlicet Cruciferarius semper se sistat infra Tumulum contra Altare, Sacerdos verò semper inter Altare & Tumulum; sive caput defuncti sit versùs Altare, sive non.

Hic notandum est, quòd dum Sacerdos ante Responsorium, *Libera me Domine, &c.* dicit precem illam, quæ incipit; *Non intres in iudicium*; omnia semper immutata manent; unde etiamsi defunctus sit fæmina, vel sint plures defuncti, non dicitur *cum serva tua*, vel *cum servis tuis*; sed semper dici debet, *cum servo tuo*. Ita S. R. C. 31. Aug. 1697.

Dum ad plura sepulchra fiunt Absolutiones, ut in die Commemorationis omnium fidelium Defunctorum, tunc in fine non dicitur, *Requiescant in pace*, nisi post ultimam Absolutionem.



PARS TERTIA.

Expositis plurimis etsi non omnibus erroribus, qui in celebratione Missarum vitandi, & omnî studiô corrigendi sunt, proponuntur hic quædam alia, scitu dignissima, & necessaria.

CAPUT PRIMUM.

De quibusdam ad SS. Missæ Sacrificium pertinentibus.

§. I.

De continuatione, & interruptione Missæ.

1. **P**Ræcipit Rubrica de Ritibus Tit. 3. n. 4. ut postquam Sacerdos, formando Crucem, Missam inchoavit, eam continuatè prosequatur usque ad finem: & hoc præcipiunt etiam Concilia. Potest autem hoc præceptum violari dupliciter. Primò si Sacerdos Missam inchoatam relinquat, eam non completurus. Secundò si interrumpat eam postea completurus.

2. Sacerdos, qui absque causa sufficiente inchoatam Missam ante consecrationem relinquit, & eam non complet, gravissimè peccat. Graviter etiam peccat, qui Missam interrumpit, & postea eam complet; nisi gravis causa excuset, in quo tamen datur materiæ parvitas.

3. Po-

3. Potest autem, immò quandoque debet interrumpi Missa, si adsit causa sufficiens, aut urgens; quæ causa debet esse proportionata gravitati actionis Missæ: & requiritur major necessitas, ut interrumpatur post consecrationem, quàm ante: rationes autem, seu causæ sunt sequentes.

Primò: Pro Concione facienda, sive propter verbi divini prædicationem potest Missa interrumpi finitò primò Evangelio. *Rubr. tit. 6. n. 6.* non potest autem interrumpi pro oratione funebri facienda; & dicunt cum cæremoniali Episc. Doctores communiter, quòd talis oratio funebris extra Missam fieri debeat.

Secundò: Pro Edictorum publicatione juxta Rubricas, & præscripta Sacrorum Canonum, ac Ecclesiarum consuetudinem.

Tertiò: Dum Episcopus alios sacris iniciat Ordinibus; quæ etiam interruptio ad Missæ spectat solemnitatem.

Quartò: Communio aliorum in Missa. *Rubr. tit. 10. n. 6.*

Quintò: Corporalis necessitas proximi extremè indigentis, si nullus alius sufficiens sit ad illum adjuvandum.

Sextò: Necessitas propria Sacerdotis, salvandi suam vitam.

Septimò: Superveniens gravis necessitas ventris.

Octavò: Tenetur Sacerdos interrumpere Missam, etiam post consecrationem, ad baptizan-

tizandum, vel absolvendum moribundum, eique dandum viaticum, si nullus alius id præstare possit.

Nonò : Ad dandam moribundo extremam unctionem, si non sit capax Saramenti pœnitentiæ; nisi paulò ante fuisset confessus, & credatur esse in gratia.

4. Dum autem Sacerdos in casu necessitatis post consecrationem deserit Missam & aliud ad tractandum habet, debet priùs ad Altare in vasculo abluere pollices & indices, eosque abstergere Purificatoriò. Et si aliò vadit, sive cum, sive sine vestibus sacris, claudat Sacramentum in tabernaculo, vel alicui committat, ut interim custodiat.

5. Cùm autem in prædictis casibus ad sacrum perficiendum Sacerdos revertitur, debet, si quæ alia tractavit, lavare manus. Postea incipit Missam, ubi priùs desiit, si consecratio jam fuit facta; vel etiam ante consecrationem, si revertatur intra horam: si autem post horam revertatur ante consecrationem, tunc Missa nova inchoanda erit, si adhuc sit hora celebrandi.

Aliæ causæ videantur in Rubr. *De defectibus in celebratione Missarum occurrentibus.*
Tit. 10.

§. II.

De necessitate, & qualitate ministri ad Missæ Sacrificium.

1. **M**inister adeo est necessarius, quòd Sacerdos absque dispensatione summi Pontificis, extra casum necessitatis sine eo celebrans, graviter peccet.

2. Casus autem necessitatis, in quibus sine ministro celebrare potest, sunt.

Primò: Quando debet dari viaticum infirmo.

Secundò: Quando urget præceptum de audiendo sacro.

Tertiò: Tempore pestis, ad evitandum mortis periculum.

Quartò: Ratione stipendii ad suæ vitæ sustentationem, si hoc stipendio graviter indiget.

Quintò: Quando Sacerdos Missam inchoavit, & postea minister defecit, aut abiit; & aliquantum expectatus non revertitur: in hoc casu tenetur Sacerdos perficere sacrum, etiam si minister abierit, aut defecerit ante Canonem; quia major est obligatio perficiendi sacrificium, quàm adhibendi ministrum.

3. Hæc omnia sunt intelligenda, si nullus prorsus minister haberi potest: quia si in necessitate neminem habere potest, qui respondeat, habeat saltem unum, qui ad Altare ampullas, & alia necessaria ministret: & dum nemo respondet, debet Sacerdos sibimet respon-

spon-

spondere, & omnia dicere, quæ minister dicere deberet.

4. Minister debet esse masculus; quia fœmina nunquam admitti potest: & debet Sacerdos in necessitate potiùs celebrare sine ministro, quàm fœminam ad hoc ministerium admittere: nec ulla fœmina sub Missa prope Altare sustineri debet; nisi dum ad Communionem accedit.

5. Posset tamen, deficiente omni ministro idoneo, fœmina longè ab Altari, vel Sanctimonialis à Choro respondere Sacerdoti, ministrante viro circa Altare.

6. Peccat minister, qui sibi ministerium usurpat, quod non potest, nisi ineptissimè præstare, nesciens juxta Ritum ab Ecclesia præscriptum, in Missa facere, & respondere. Unde diligentissimè curare debet Sacerdos, ne ministrum insufficientem admittat; quia secùs faciendo delictum ministri ipsi Sacerdoti imputabitur; nisi ex naturali inadvertentia excusetur.

7. Quid ergo dicendum est de Sacerdotibus habentibus plerumque ministros, qui respondendo multa omittunt, aut pessimè pronunciant; cùm tamen ineptos in ministerio domestico non patiantur: sed eos vel corrigunt, aut dimittunt? evidens hoc signum est, quòd tales plùs æstiment corporalia, quàm spiritualia; plùs mensam profanam, quàm sacram; plùs corpus, quàm animam.

8. Mi-

8. Ministri debent esse honestè & decenter vestiti, non laceri, aut sordidi; hoc enim maximopere dedecet: quia ad ministerium Altaris etiam exteriori cultu omnes mundi & decori comparere, & servire debent.

CAPUT SECUNDUM.

De Missa celebranda coram SS. Sacramento.

1. **S**Acra Rituum Congregatio die 9. Aug. 1670. edidit sequens decretum: *Missam in Altari majori, ubi est expositum publicè SS. Sacramentum, non licet celebrare, præsertim si in Ecclesia adsunt alia Altaria, in quibus celebrari possit.* Hoc non obstante sæpiùs celebrantur Missæ coram SS. Sacramento exposito: præscribitur proinde ex Missali, Cæremoniali, & auctoribus hac de re agentibus, quo ritu Missa privata tunc celebrari debeat.

2. Statim ac Sacerdos Presbyterium, seu Capellam Altaris, in quo Sanctissimum est expositum, ingreditur aliquantulum consistens, caput detegit, porrigens Birretum ministro ad manum, non illud ponens super Calicem, aut Missale.

3. Cùm pervenerit ante infimum gradum Altaris, fleat utroque genu, non supra gradum, sed in plana terra, & genuflexus, unà cum ministro genuflexo à dextris, caput profundè inclinat, ac surgit uterque.

Solent plures ministri osculari terram, gradum, aut suppedaneum Altaris, dum flectunt, aut surgunt: hoc autem nullatenus fieri debet, dum superpelliceo sunt induti.

4. Sacerdos ascendit ad Altare, deponit Calicem ad partem Evangelii, & genuflectit unico genu absque capitis inclinatione. Et deinceps omnes genuflexiones fieri debent unico genu, præter ultimam, dum discedit ab Altari, quæ fit sicut prima in accessu.

5. Facta genuflexione extrahit Corporale de Bursa, &c. more solito, ac facta iterum genuflexione transit ad cornu Epistolæ ad aperiendum librum. Rediens ad medium genuflectit, & erectus, sine mora retrahens se aliquantulum ad cornu Evangelii, facie versa ad cornu Epistolæ, ne dorsum vertat SS. Sacramento, descendit in planum.

6. Minister, dum Sacerdos cum Calice ascendit ad medium Altaris, accedit ad cornu Epistolæ, ibique deponit Missale super cussinum; deinde pergit ad medium Altaris ante infimum gradum, flectit utroque genu, & caput profundè inclinatur (quod semper facit, dum transit per medium) & vadit ad suum locum ex parte Evangelii.

7. Sacerdos in plano ante infimum gradum genuflectit super eundem gradum unico genu, & absque alia reverentia erectus incipit Missam, &c. more solito.

Dum dicit, *Anser à nobis*, &c. nullam facit

cit genuflexionem, aut aliam reverentiam; sed ascendit ad medium Altaris, ibique genuflectit, & postea incipit more solito, *Oramus te Domine, &c.* finita Oratione, & osculatô Altari, iterum genuflectit, & procedit ad cornu Epistolæ, &c.

8. Dum redit ad medium, genuflectit, &c. Postea vertit se ad populum, recedens paululum ad cornu Evangelii, ne SS. Sacramento dorsum obvertat, quod semper est observandum. Dicto *Dominus vobiscum*, revertitur ad medium, denuò genuflectit; & sic in omnibus hujusmodi occasionibus, revertitur ad cornu Epistolæ, ibique dicit dicenda.

Hic notandum est sequens Decretum: In Missa privata de Sancto (non tamen primæ, vel secundæ classis) potest fieri commemoratio de SS. Sacramento exposito occasione 40. horarum. S. R. C. 2. Decembr. 1684. vide infra *Cap. 4. §. I. n. 10.*

9. Rediens ad medium Altaris, genuflectit, postea dicit, *Munda cor meum, &c.* Dum Celebrans in Missa hac elevat oculos, eos semper elevat ad Sacramentum. Dictis *Munda cor meum, &c.* iterum genuflectit, & transit ad cornu Evangelii, &c. Finitô Evangelii, & osculatô librô, redit ad medium Altaris, ibi genuflectit, & dicit *Credo*, si dicendum est: quo dicto osculatur Altare, genuflectit, vertit se ad populum, &c.

10. Si non est dicendum *Credo*, reversus

ad medium Altaris, osculatur illud, genuflectit, vertit se ad populum. Conversus ad Altare, genuflectit; postea dicit, *Oremus*, inclinando caput versùs SS. Sacramentum: cum caput est inclinandum versùs Crucem, in hac Missa semper debet inclinari versùs SS. Sacramentum.

11. Dicto *Suscipe Sancte Pater, &c.* antequam discedat de medio, genuflectit, & accedit ad cornu Epistolæ.

Minister porrigens Sacerdoti ampullas, eas non osculatur, ob reverentiam Sacramenti.

12. Sacerdos reversùs ad medium, genuflectit, & erectus accipit Calicem, ac dicit, *Offerimus, &c.*

Benedictis Hostiâ & Calice, genuflectit, & erectus incedit versùs cornu Epistolæ, ibique descendit in planum per gradus laterales, & facie versa ad populum, ac quasi ad cornu Evangelii, lavat manus, semper attendendo, ne terga vertat SS. Sacramento, tam stando, quàm se vertendo. Non in suppedaneo, aut gradu Altaris lavandæ sunt manus, uti plerimi faciunt; sed extra Altare in plano, sicut Rubrica mandat *ser. VI. in Parasceve*. Si plures sunt gradus, tunc sufficit descendere per unum, vel alterum; quia Rubrica dicit: aliquantulum extra Altare.

13. Postquam in eodem loco manus manu-tergiò extersit, redit per eosdem gradus laterales ad medium Altaris, ubi statim genu-
fle-

flectit. Dicit *suscipe sancta Trinitas*, &c. osculatur Altare, genuflectit, & erectus retrahit se parùm obversò dorsò versùs cornu Evangelii, & versùs populum dicit, *Orate fratres*: non perficit circulum, sed reversus ad medium, iterum genuflectit, surgit, & peragit reliqua usque ad Communionem, ut in aliis Missis.

14. In Missa coram SS. Sacramento exposito non pulsatur campanula, neque ad *Sanctus*, neque ad elevationem; quia hæc ideo pulsatur, ut populus ad adorationem Sacramenti excitetur: frustra igitur in præsentī casu, in quo jam populus actualiter adorat Sacramentum expositum, pulsaretur. Vide infra *Cap. 4. §. I. n. 10.*

15. Post sumptam purificationem Sacerdos ponit Calicem extra Corporale ad cornu Epistolæ; tum genuflectit, vadit ad cornu Epistolæ, ibi accipit Calicem, & dorsum non vertens SS. Sacramento, facit digitorum abluitionem, ac eorum abstersionem; postea ponit Calicem prope Corporale; tum procedit manibùs junctis ad medium Altaris, ibi genuflectit, surgit, accipit Calicem, & sumit abluitionem, &c.

16. Accommodato Calice, genuflectit, & accedit ad cornu Epistolæ; lecta ibi Communionem redit ad medium Altaris, ubi genuflectit, surgit, osculatur Altare; tum vertit se ad populum, & dicit, *Dominus vo-*

biscum, revertitur ad Altare, genuflectit, & redit ad cornu Epistolæ.

Postcommunionem dicta, & clauso libro, accedit ad medium Altaris, genuflectit, osculatur Altare, vertit se ad populum, dicit, *Dominus vobiscum*, & *Ite missa est*: postea convertit se ad Altare.

Si verò dicturus est *Benedicamus Domino*, tunc dicto: *Dominus vobiscum*, revertitur ad Altare, genuflectit, surgit, & stans dicit *Benedicamus Domino*. Deinde dicit, *Placeat tibi*, &c.

17. Finita supradicta Deprecatione, osculatur Altare; deinde erectus dicit *Benedicat vos omnipotens Deus*, caput non inclinans; quia immediate genuflectit, surgit, & vertit se ad populum ex parte Evangelii, illum benedicit more solito, non perficit circulum, nec redit ad medium, ut genuflectat; sed conversus ad Altare in cornu Evangelii, dicit ibi *Dominus vobiscum*, &c. signat librum, vel tabellam, & se ipsum: si nec liber, nec tabella Evangelii adsit, signat se ipsum solum; quia expositio SS. Sacramento non signatur Altare: & legit ultimum Evangelium. Ad *Verbum caro factum est* non genuflectit juxta solitum versus cornu Evangelii, sed aliquantulum versus Sacramentum: & idem est observandum, si genuflectendum est sub primo Evangelio.

18. Finito Evangelio accedit ad medium

Al-

Altaris, genuflectit, surgit, accipit Calicem de more, descendit, humeris versis ad cornu Evangelii, in planum, ubi genuflectit utroque genu, sicut initio fecit, unà cum ministro, surgit, & absque alia reverentia discedit, ac in eodem loco, in quo veniendo Birretum deposuit, aliquantulum consistens, illud dexterâ accipit à ministro, caput tegit, & redit ad Sacristiam.

CAPUT TERTIUM.

De Incensatione faciendâ.

§. I.

De Incensatione in Missa.

1. **Q**uomodo in Missa solemnè Diaconus, Subdiaconus, Thuriferarius, & alii debeant ministrare, clarè præscribitur à Rubricis; hîc solum agitur de incensatione juxta Rubricas faciendâ in Missa, quæ celebratur absque ministris sacris, cum uno, aut duobus ministris superpelliceo indutis.

2. Factâ confessione, dum Celebrans ascendit ad Altare, minister vadit incunctanter pro thuribulo, & navicula, ascendit per gradus ad medium Altaris suppedaneum, aliquantulum ex parte Epistolæ, & factâ ibi genuflexione, surgit, ac tenet in manu sinistra thuribulum, in dextra naviculam: si duo sunt ministri, tenet naviculam alter ad sinistram Thuriferarii.

3. Celebrans dicto *Oramus te Domine, &c.*

ac osculatô Altari, stans in medio illius, convertit faciem suam aliquantulum ad partem Epistolæ: minister statim tradit celebranti manu dextera naviculam semiapertam, cum suo cochleari: si autem adsit alter minister, tunc is tenet naviculam apertam versùs Celebrantem: Thuriferarius verò ministrat inclinato capite thuribulum Celebranti hoc modo: manu sinistra tenet superiorem anulum thuribuli, manu verò dextera in parte inferiori tenet thuribulum apertum & elevatum, æqualiter ad naviculæ altitudinem; sive hanc teneat Celebrans, sive Navicularius.

4. Si adsit Navicularius, statim accipit manu sua dextera ex navicula cochlear vacuum circa partem inferiorem manubrii, osculatur illud in manubrii summitate, & tradit Celebranti, cujus manum dexteram in exteriori parte etiam osculatur, & dicit voce intelligibili *Benedicite Pater Reverende*; tenetque naviculam ambabûs manibûs inter pollices, & indices apertam versùs Celebrantem.

5. Si autem Navicularius non adsit, Thuriferarius versùs Celebrantem se inclinans dicit: *Benedicite Pater Reverende*. Celebrans acceptô cochleari, sinistram manum extensam infra pectus positam tenens (si autem ipsemet habet naviculam, eam tenet in manu sinistra) manu dextera ter è navicula thus sumit, & ter in thuribulum immittit,

tribûs locis distinctis, scilicet, in medio, à dextris, & à sinistris, dicens ad primam thuris immisionem; *ab illo benedicaris: ad secundam, in cuius honore: ad tertiam cremaberis, amen: & statim redditô aut depositô cochleari, dextera manu producit signum crucis super thus positum in thuribulo, nihil dicens. Prædictâ formulâ benedicendi thus Celebrans semper utitur, quoties benedicit incensum, præterquam cùm est thurificaturus oblata.*

6. Thure imposito, Navicularius, si adest, accipit manu dextera cochlear à Celebrante, & osculatâ priùs dexterâ Celebrantis osculatur postea cochlear in summitate manubrii, ac statim illud reponit in naviculam, eamque claudit. Absente Naviculario Celebrans deponit naviculam cum cochleari, & accipit à Thuriferario thuribulum clausum, quod is Celebranti sic porrigere debet: teneat summitatem catenularum in manu dextera, & extremitatem earum prope vas in sinistra: osculetur summitatem catenularum, & ponat in sinistra manu Celebrantis; ac catenularum extremitatem prope vas ponat in ejusdem dextera, quam osculetur à parte exteriori.

7. Postea minister facta genuflexione descendit, & retrò post Celebrantem, eum sequitur in incensatione, elevando manu dextera paululùm Planetam. Si sint duo mi-

nistri, elevant ambo; qui est ad dexteram, manu sinistra; qui est ad sinistram, manu dextera.

Celebrans sinistram, qua summitatem catenularum juxta manubrium complectitur, admovet infra pectus, eamque immobilem tenet in tota incensatione: dexterâ verò easdem catenulas simul junctas prope operculum firmas tenens ducit thuribulum, ut infra.

8. Celebrans facit Cruci profundam inclinationem, & postea ter eam incensat, scilicet tribus ductibus æqualibus, post unumquemque ductum tantillum quiescens; ut distinguatur tres esse incensationes: postea iterum facit Cruci profundam inclinationem.

Minister, seu ministri comitantes celebrantem, semper genuflectunt Cruci cum Celebrante, etsi ipse tantum se inclinet.

9. Si duo sunt ministri, unus, facta in medio genuflexione unâ cum altero remanente accedit per gradus laterales ad cornu Epistolæ, ubi facta genuflexione Cruci, amovet cassinum cum Missali de Altari, descendit extra gradus, ibique utrumque sustinet ambabus manibus ante pectus prope cornu Epistolæ, facie versa ad Altare, donec thurificatio mensæ Altaris in eodem cornu sit completa: mox reponit cassinum cum Missali, genuflectit, & revertitur ad priorem suum locum, cum genuflexione, uti prius. Dum secunda vice incensatur Altare post incen-

incensationem Oblatorum, minister idem præstat in cornu Evangelii.

10. Incensata Cruce Celebrans incensat Altare, incipiens à latere Epistolæ, faciem ad Altare convertens, & ter ducens thuribulum æquali distantia, prout distinguuntur candelabra, incipiens à parte proximiorè Cruci: & hæ tres incensationes faciendæ sunt, etiamsi non essent tria candelabra; non enim incensantur candelabra, sed pars posterior mensæ Altaris: debent fieri hæ tres incensationes lineâ rectâ; suntque promovendi tot passus, quod thuribuli tractus: & hoc semper faciendum est, juxta modum incensationis, ut manus cum pede, quantum fieri potest, concordet.

11. Ter ducto thuribulo, seu factis tribus incensationibus, & passibus usque ad cornu Epistolæ, Celebrans ibi aliquantulum se inclinat, & demissa manu cum turibulo, semel incensat inferiorem partem lateralem Altaris, deinde superiorem, semel ubique ducendo thuribulum; mox conversus ad Altare, & faciem ad medium vertens, elevat manum, & incensat in superiori parte planitiem anteriorem Altaris circa oram, ducens thuribulum obliquâ lineâ, & velut in semicirculum, à dextra sua ad sinistram, & æquali distantia, terna vice, id est, ter ducens thuribulum, procedendo ad medium Altaris, tot pas-

passus, ut prius faciens, quot ductus thuribuli.

12. In mediô Altaris profundam facit reverentiam, & incensat posteriorem Altaris planitiem, usque ad cornu Evangelii, ac ibidem inferiorem, & superiorem partem lateralem, sicut dictum est de cornu Epistolæ.

Deinde elevans thuribulum, nec ultra progrediens, incensat planitiem anteriorem, seu mensam in cornu Evangelii, ter ducens thuribulum, obliquâ lineâ, velut in semicirculum, à sinistra sua ad dexteram: & adhuc stans in cornu Evangelii, manu aliquantulum demissa, incensat partem illius anteriorem, seu frontem, ter ducens rectâ lineâ thuribulum, à cornu Evangelii progrediendo usque ad medium Altaris.

13. In medio Altaris profundam facit Cruci inclinationem, & pariter incensat triplici ductu alteram partem anteriorem Altaris, seu mensæ, progrediendo à medio usque ad cornu Epistolæ; ubi finita incensatione: redit utraque manu thuribulum ministro in secundo gradu (si plures sint gradus) stanti: qui illud accipit utraque manu: & celebrans facie ad ministrum conversus, junctis ante pectus manibus, ab eo incensatur triplici ductu: minister ante, & post incensationem profundè se inclinat; Celebrans verò nullatenus se inclinat.

14. Si in Altari fuerint Reliquiæ, seu ima-
gi-

gines Sanctorum, incensantur; ut autem valeant incensari, debent esse imagines Sculptæ cum Reliquiis Sanctorum, inter candelabra, non in parietibus depictæ; vel debent esse Reliquiæ in vasis; quia imagines sine Reliquiis non sunt hîc incensandæ. Incensata Cruce, & facta eidem profunda inclinatione, ut n. 8. dictum est, Celebrans in medio Altaris stans, incensat Reliquias, primò eas, quæ sunt à parte Evangelii, Cruci seu tabernaculo proximiores, bis tandummodo ducens thuribulum (ad alias Reliquias nihil attendendo, etsi plures sint ex una parte) nullo modo se eis inclinando, nec ante, nec post incensationem: incensatis Reliquiis à parte Evangelii, facit profundam inclinationem Cruci, & simili ritu incensat reliquias, quæ sunt à latere Epistolæ, proximiores Cruci, & facta Cruci profunda inclinatione, procedit ad incensandum Altare, ut supra à n. 10. dictum est.

15. Si in medio Altaris sit exposita Reliquia aliqua insignis, ut caput, aut brachium alicujus Sancti, tunc immediatè post incensationem Crucis, & facta Cruci profunda inclinatione, duplici ductu incensari debet illa Reliquia absque ulla reverentia ei facienda; sed hac incensata, & facta Cruci profunda inclinatione, incensandæ sunt aliæ Reliquiæ, ut num: priori dictum est.

16. In actu thurificationis Celebrans, unà cum ministris, graviter, modestè, & sine
 pro

properatione se gerat, non personam, aut caput moveat, cum ducit & reducit thuribulum; & diligenter attendat, ne thuribulo in mensa, aut alibi impingat, vel aliquid maculet.

17. Si in Altari fuerit Tabernaculum SS. Sacramenti, tunc accepto thuribulo, antequam incipiat incensationem, loco profundæ inclinationis facit genuflexionem, ponens extremitatem manuum super Altare, ut facilius genuflectere, & surgere possit. Et facit genuflexionem SS. Sacramento, quotiescunque transit ante medium Altaris; qui transitus bis in incensatione Altaris accidit, videlicet, primò dum ex cornu Epistolæ transit ad cornu Evangelii: secundò dum ex cornu Evangelii transit ad cornu Epistolæ, terminando incensationem. Ex quo patet, quòd Celebrans incensando coram tabernaculo SS. Sacramenti, ter tantum genuflectere debeat; nam Cruce incensata, facit ei profundam inclinationem, non genuflectit SS. Sacramento; quia dum hic pergit versus cornu Epistolæ ad proseguendam incensationem, non est transitus ante medium Altaris, sed abitus, seu discessus à medio: discessus autem & transitus inter se distinguuntur; & genuflexio faciendâ est solummodo in transitu, juxta Rubricas.

18. Lectâ à Celebrante Epistolâ, & responsò à ministris, Deo gratias, surgunt ambo,

vadunt ad medium, & faciunt in plano pariter genuflexionem; postea unus vadit pro thuribulo, alter expectat post Celebrantem, & transfert librum ad cornu Evangelii. Si unicus est minister, tunc is facta genuflexione, ut supra, transfert librum, & statim vadit pro thuribulo, accedit, ut n. 2. dictum est, ad Celebrantem, qui dicto in medio Altaris *Munda cor meum*, &c. imponit, & benedicit incensum, ut ibidem dictum est.

19. Postea Celebrans manibus junctis, facta Cruci debitâ reverentiâ, transit ad librum in cornu Evangelii, ubi dictis *Dominus vobiscum*, ac *Initium*, vel *sequentia S. Evangelii*, & observatis aliis de more, vertit se versus medium Altaris, ubi à ministro post Sacerdotem versus medium Altaris stante accipit thuribulum clausum, omnibus observatis, quæ n. 6. de traditione thuribuli dicta sunt.

Celebrans accepto thuribulo, incensat librum tribus ductibus, primò in medio, secundò à dexttis, tertio à sinistris libri, & facta inclinatione capitis versus librum, reddit thuribulum ministro stanti in cornu Evangelii extra Altare; ac legit Evangelium de more.

20. Minister stat sub Evangelio in plano ex cornu Evangelii post Celebrantem, aliquantulum agitans thuribulum, elevato ejus operculo, ne ignis extinguatur; & nullatenus incensat librum, prout plures faciunt

con-

contra Rubricas. Lectô Evangelio, & osculatô librô, Celebrans vertit se ad ministrum, à quo incensatur, ut supra n. 12 dictum est.

21. Dicto *Veni Sanctificator*, &c. accedit minister ad Celebrantem, & præstat, quæ dicta sunt à n. 2.

Celebrans Hostiâ relictâ apertâ (multi enim contra Rubricas Patenâ eam tegunt) vertit se, & ter ponit incensum in thuribulum, dicens, *Per intercessionem*, &c. ita ut ad verbum *benedicere*, depositô cochleari, manu dextera producat signum Crucis super thuribulum fumigans.

22. Celebrans acceptô thuribulô, vertit se ad Altare, & nulla facta genuflexione, aut alia reverentiâ, incensat oblata hoc modo; primò facit super Calicem & Hostiam simul tres Cruces non per puncta, sed per lineas æquales, ut dictum est *Part. 2. tit. VII. n. 5.* debet autem fieri Crucis intersecatio inter Calicis Pallam, & Hostiam ad perpendicularum; & dicit ad lineam rectam primæ Crucis, *Incensum!*: ad lineam transversam, *istud*: ad lineam rectam secundæ Crucis, *à te*: ad lineam transversam, *benedictum*: ad lineam rectam tertiæ Crucis, *ascendat*: ad lineam transversam, *ad te Domine*.

23. Formatîs hîs tribûs Crucibûs, Celebrans demittit manum, & quasi tangens pede thuribuli mensam Altaris, deducit thuribulum circum Hostiam, & Calicem simul
hoc

hoc modo : primò à dextera sua ad finiftram, dicens, & *descendat super nos.* : secundò ducendo thuribulum eodem modo, dicens, *miserericordia* : tertio ducendo thuribulum à sinistra sua ad dexteram, dicens, *tua.*

Incensatis hoc modo oblatiis, Celebrans facit Cruci profundam inclinationem ; si verò in Tabernaculo occlusum sit SS. Sacramentum, ei facit genuflexionem.

24. Postea incensat Crucem, & prosequitur incensationem Altaris, sicut dictum est à n. 8. Peragendo autem hanc incensationem Altaris, recitat verba orationis *Dirigatur Domine, &c.* usque ad, *accendat* ; incipiendo, dum Crucem incensat, & ita verba dispensando, ut eodem tempore finem imponat orationi simul, & thurificationi. Et cum in cornu Epistolæ reddit thuribulum ministro, dicit, *accendat in nobis, &c.* & incensatur, ut n. 13. dictum est.

25. Si duo sunt ministri, tunc unus, dum Celebrans incensatur, accipit pelviculam, & ampullam aquæ, easque statim post incensationem ministrat, ut *Part. 2. tit. VII. n. 6.* dictum est. Si unicus est minister, tunc incensato Celebrante (si nemo adsit, cui tradere possit thuribulum) imponat anulum supremum thuribuli digito manus suæ sinistrae, ut sic ex ea dependeat ; accipiat statim pelviculam, & ampullam aquæ, &c. ut supra.

26. Ante consecrationem (si nullus sit, qui

adferat thuribulum) minister facta ante medium Altaris genuflexione, vadit pro thuribulo, & rediens ad medium Altaris, iterum genuflectit, ac pergit ad priorem suum locum in cornu Epistolæ, ubi genuflexus ante infimum gradum in plano, ponit incensum in thuribulum, dum Celebrans Cruces format super oblata, & signum datur campanulâ, quam prius tradidit socio, aut cuidam astantium. Postea SS. Sacramentum in elevatione incensat hoc modo: dum Celebrans facta consecratione incipit genuflectere, ipse minister profundè se inclinat, & erectus statim unico ductu incensat: ad elevationem Hostiæ incensat secundo ductu, & ad secundam Celebrantis genuflexionem tertio ductu. Eodem modo postea ter incensat Calicem Consecratum, & facta postea profunda inclinatione accedit ad medium Altaris (si nullus adsit, qui ab eo thuribulum accipiat) & facta ibi genuflexione reportat thuribulum ad locum suum; rediens ante medium Altaris, facit genuflexionem, & transit ad suum locum priorem.

27. In Missa, quæ dicitur in Paramentis nigris, nulla est incensatio ad Introitum, & Evangelium: incensantur autem oblata, & Altare ac Celebrans, ut à n. 21. dictum est; hoc excepto, quòd in hac Missa oscula intermittantur; quia non est osculanda manus Celebrantis, nec alia res, quæ ei porrigitur,
aut

aut ab eo recipitur. Etiam ad elevationem fit in hac Missa incensatio, ut supra dictum est.

§. II.

De incensatione in Missa coram SS. Sacramento exposito.

1. **I**N hac Missa incensatio fit omni prorsus modo, ut dictum est §. præcedente, exceptis sequentibus.

2. Minister, seu ministri nunquam osculantur manum Celebrantis, nec rem ullam ei tradendam, aut ab eo recipiendam.

3. Celebrans, dicta oratione *Oramus te Domine, &c.* & osculatô Altari, facit genuflexionem, & se retrahit aliquantulum versus cornu Evangelii, facie versa ad cornu Epistolæ (plures ad imponendum incensum pergunt ad cornu Epistolæ; sed malè, quia semper in medio Altaris est imponendum) imponit, & benedicit incensum more solito: postea facta in medio genuflexione, descendit manibus ante pectus junctis, ad secundum gradum Altaris, si plures sunt gradus; cavens, ne terga vertat SS. Sacramento, & genuflexus utroque genu super suppedaneum, unà cum ministris, seu ministro à dextris, accipit ab eo thuribulum, & statim facta, cum eodem, profunda inclinatione, incensat SS. Sacramentum triplici ductu motu gravi, interposita brevi morula inter

unumquemque ductum: & eo tempore minister, seu ministri elevant aliquantulum posteriorem partem Planetæ Celebrantis.

4. Incensatô Sacramentô, & facta unâ cum ministris, profunda inclinatione, surgit, accedit ad medium Altaris, ubi facta genuflexione (omissa incensatione Crucis; quæ expositô SS. Sacramentô non incensatur: debet tamen adesse, prout habet sequens decretum: *super Altare, in quo SS. Sacramentum expositum est, Crux de more collocari debet, cum imagine Crucifixi apposita. S. R. C. 14. Maii 1707.*) incensat Reliquias, si adsint, & Altare, ut priori §. dictum est.

5. Celebrans (ita & ministri) quotiescumque accedit ad medium Altaris, vel ab eo recedit, aut per ipsum transit, semper genuflectit.

6. Completa incensatione, & redditô in cornu Epistolæ thuribulô ministro, Celebrans per omnes gradus laterales à cornu Epistolæ ita descendit in planum, ne terga directè vertat Sacramento; ibi se vertit ad populum, ita ut respiciat cornu Evangelii, & à ministro incensatur, ut infra num. 8. Si ob copiam populi Celebrans non potest descendere in planum, descendat prout commodè poterit.

7. Ad Evangelium imponitur, & benedicitur incensum, ut supra n. 3. dictum est. Et facta genuflexione in medio, Celebrans

pro-

procedit ad cornu Evangelii, ubi observantur dicta §. 1. n. 19.

8. Lectô Evangelio, & osculatô librô, Celebrans manibûs ante pectus junctis incensatur hoc modo: minister in plano ante medium Altaris facit SS. Sacramento genuflexionem, & erectus in eodem loco conversus ad Celebrantem, ei profundè se inclinat, eumque incensat more solito: postea iterum profundè ei se inclinat, & conversus ad Sacramentum, genuflectit, & redit ad locum suum.

9. Si post Evangelium concionandum est à Celebrante in Altari coram SS. Sacramento exposito, tunc faciat in medio Altaris genuflexionem, redeat ad cornu Evangelii, & ibi stans aperto capite concionetur.

10. Dicto, *Veni Sanctificator*, &c. Celebrans imponit incensum ut n. 3. dictum est, & benedicit, ut §. 1. n. 21. dictum est: postea conversus ad Altare, facit genuflexionem Sacramento, & incensat oblata, ut ibidem dictum est. Deinde incensat Sacramentum, & perficit alia, ut à n. 3. dictum est.

Incensatus postea in plano extra Altare à ministro, in eodem loco lavat, & extergit manus, ac tandem per eosdem gradus laterales ascendit, &c.

11. Ad Elevationem incensatur Hostia, & Calix, ut priori §. n. 26. dictum est.

S. III.

De incensatione in Vesperis facienda.

1. **S**I incensatio facienda est in Vesperis, tunc Sacerdos ad Canticum *Magnificat*, Amictu, Albâ, Stolâ, & Pluviali (si adsit) indutus cum ministris superpelliceis indutis, accedit ad Altare, & detecto capite, ac factâ debitâ reverentiâ, ascendit ad medium Altaris, osculatur illud in medio, & ibi imponit, ac benedicit thus, & incensat Altare, ut S. I. num. 3. dictum est.

2. Terminata incensatione tradit in cornu Epistolæ thuribulum ministro, redit ad medium Altaris, osculatur illud in medio, descendit, & factâ in plano debitâ reverentiâ, redit ad priorem suum locum, ubi à ministro incensatur more solito.

3. Si in Altari fuerit Tabernaculum cum SS. Sacramento, tunc perveniens ad Altare, & discedens ab eo, facit genuflexionem; secùs verò facit profundam inclinationem.

4. Si sit expositum SS. Sacramentum, tunc Sacerdos cum ministris, accedens detecto capite, ante infimum gradum Altaris utroque genu genuflexus profundam facit inclinationem; surgit, ascendit ad Altare, facit genuflexionem, osculatur Altare in medio, & ibi ponit thus in thuribulum, illud benedicit, & incensat, &c. ut S. II. num. 3. dictum est.

5. Red-

5. Redditô in cornu Epistolæ thuribulô , Sacerdos quasi per illud latus descendit in planum , versa facie quasi ad medium Altaris , ne terga vertat Sacramento , & in medio ante infimum gradum facta utroque genu genuflexione , ac profunda inclinatione , repetit suum locum , ubi à ministro incensatur.

6. Si incensatio facienda est sub Missa ad *Magnificat* , tunc omnia observari debent , quæ dicta sunt §. I. à n. 3. vel expositô SS. Sacramentô §. II. à n. 3.

7. De thure benedicendo , & de osculis hæc regula est observanda : quando expositum SS. Sacramentum cum Altari incensatur , thus semper benedicitur , ut §. I. n. 5. dictum est : quando autem solum Sacramentum incensatur , thus non benedicitur.

Expositô SS. Sacramentô ab osculis tum manus , tum cujuscunque rei semper est abstinendum ; sive fiat incensatio , sive non ; sive solum Sacramentum , sive hoc unâ cum Altari incensetur.

8. Quando Sacerdos utitur Pluviali , nunquam adhibet Manipulum , sed Stolam solummodo : & si est Albâ indutus , debet gestare Stolam ante pectus in modum Crucis , cingulô de more conjunctam , & utrimque ligatam ; sive habeat Pluviale , sive non. Si autem superpelliceô est indutus , debet habere Stolam solutam , à collo hinc inde pendentem.

CAPUT QUARTUM.

Quædam alia observanda circa SS. Eucharistiæ Sacramentum.

S. I.

*De expositione, & repositione SS. Sacramentis
ac de Benedictione danda cum eodem.*

1. **C**elebrans expositurus ante Missam SS. Sacramentum, posito Calice ad cornu Evangelii, extendit in medio Altaris Corporale; accedit ad cornu Epistolæ, aperit Missale; redit ad medium Altaris, aperit tabernaculum, facit genuflexionem; extrahit Ostensorium, & collocat in medio super Corporale; facit iterum genuflexionem, & erectus, aliquantulum se retrahit ad cornu Evangelii, ne terga vertat Sacramento; descendit manibus ante pectus junctis, ante infimum gradum, & facta ibi genuflexione, surgit, & stans imponit thus in thuribulum, sine osculis, & benedictione; postea utroque genu flectit, & accepto thuribulo, facit profundam inclinationem, ac incensat, ut cap. 3. S. II. n. 3. dictum est.

2. Terminata incensatione, facta profunda inclinatione, reddit thuribulum ministro; accipit super humeros velum oblongum, quod semper debet esse albi coloris, licet Paramenta sint alterius: surgit, ascendit ad medium Altaris; genuflectit, surgit, & absque inclinatione-

natione capitis, accipit velatis manibus Ostensorium, ita ut postea conversus pars anterior respiciat populum; vertit se ad populum ad latus suum dexterum, tenens manu dextera nodum, & sinistra pedem Ostensorii ante pectus; & erectus absque inclinatione capitis, cum ipso benedicit populum semel tantum hoc ritu: elevat Ostensorium per lineam rectam, illud non incurvando, nec supra caput, sed usque ad oculos elevando; & eodem modo illud demittit infra pectus: mox rectâ illud attollit usque ad pectus; deinde ad sinistrum humerum ducit (corpus non movens) & reducit ad dexterum; & non reducendo illud ad pectus (quod plures ineptè faciunt; nec enim manus, aut quodvis instrumentum, quo Crux formatur, ad medium reducitur; quia hoc esset superfluum, & deforme) sed statim ad cornu Evangelii se vertit, perficiendo circulum, sicut ad *Orate fratres*, juxta communem usum Ecclesiarum Urbis.

Hic ritus benedicendi populum cum SS. Sacramento semper est observandus, sive sit Ostensorium, sive Ciborium, aut aliud vas: sive Sacramentum sit etiam reclusum in tabernaculo, sive non; ad *Orate fratres*, & in fine Missæ in benedictione manu danda, etiam existente Sacramento in tabernaculo, perficitur circulus: ergo etiam, & multò magis circulus est perficiendus, dum cum SS. Sa-

cramento datur benedictio. Et iste modus approbatus fuit à S. R. Congregatione die 27 Martii 1676.

3. Si Sacerdos cum Ostenfario in manibus, intonare debet, *Tantum ergo Sacramentum*, tunc conversus cum SS. Sacramento ad populum, ut supra, intonet dicta tria verba, & consistat, donec Chorus cantet *Præstet fides supplementum*; & tunc det benedictionem, ut supra.

Idipsum observet; dum ad repositionem Sacramenti intonare debet, *Genitori, Genitoque*, ut tunc det Benedictionem, dum Chorus cantat, *sit & Benedictio*.

Si autem nihil est intonandum, debet dare benedictionem semper, & ubique, tam cum Ostenfario, quam cum Ciborio, aut alio vase, nihil dicens, juxta præscriptum Ritualis Romani; quia non Celebrans, sed Sacramentum benedicit populum.

4. Data Benedictione, Celebrans reversus ad Altare, collocat SS. Sacramentum super Corporale in loco eminenti, ad hoc decenter præparato: statim ponit Calicem super Corporale; & facta genuflexione in medio, descendit ante infimum gradum Altaris, ubi dimittit velum, genuflectit utroque genu, accipit à ministro thuribulum, facit profundam inclinationem, & incensat SS. Sacramentum, ut *cap. 3. §. II. n. 3.* dictum est; deinde surgit, & absque ulla alia reverentia immediatè incipit Missam.

5. Si

5. Si post Missam reponendum est SS. Sacramentum, Sacerdos dictô ultimô Evangelio, revertitur ad medium Altaris, & posito Calice vestito ad cornu Evangelii, relicto in medio Corporali extensô, ac facta genuflexione, descendit, & observat dicta à n. 1.

Data Benedictione deponit SS. Sacramentum super Corporale absque inclinatione capitis, & facta genuflexione descendit, &c. ut n. præcedente.

Incensatô Sacramentô, ascendit, facit genuflexionem, aperit ostiolum Tabernaculi, reponit Sacramentum, iterum genuflectit, & claudit Tabernaculum, &c.

6. Si extra Missam facienda est expositio SS. Sacramenti, tunc decens est, ut Sacerdos paretur Amictu, Albâ, Stolâ, & Pluviali albi coloris, pluribus sibi assistentibus ministris superpelliceis indutis. In horum autem defectu accipit superpelliceum cum Stola alba, & habeat saltem duos ministros superpelliceis indutos.

Debito tempore accensis luminaribus in Altari, & præparatis omnibus requisitis, facit Sacerdos, unâ cum ministris, in Sacristia imagini principali profundam inclinationem; postea tegit caput, & præcedentibus ministris, procedit manibus ante pectus junctis.

7. Cùm pervenerit ad Altare, deponit Birretum, & dat illud ministro, postea genuflectit unico genu, surgit, ascendit ad medium

dium Altaris , extendit ibi Corporale , nisi priùs sit extensum , & observat dicta à n. 1.

8. Si dicendæ , aut cantandæ sunt Litanïæ , observentur omnia de more cum debita reverentia , & devotione.

Cantatis , seu dictis Litanïis cum subsequen-
tibus versibus , facit Sacerdos genuflexus pro-
fundam inclinationem , surgit , & sine alia
reverentia , stans dicit Orationem , seu Ora-
tiones.

Si tunc reponendum est SS. Sacramentum ,
tunc dictis orationibus Sacerdos adhuc stans
imponit thus in thuribulum , incensat , dat
Benedictionem , &c. ut supra dictum est.

9. Hic notandum est , quòd per frequen-
tem expositionem Eucharistiæ minuatur de-
votio , & reverentia debita huic SS. Sacra-
mento ; edidit proinde S. R. Congregatio 4.
Martii 1606. sequens Decretum : *Euchari-
stia non est singulis diebus exponenda super Al-
tari , sed in quibusdam tantum solemnitati-
bus.* Item 19. Augusti 1651. sequens : *Quan-
do SS. Eucharistiæ Sacramentum publice di-
scoopertum exponitur , omnes ante illud transe-
untes , cujuscunque conditionis , & ordinis
sint , seu ad illud accedentes , seu ab eodem
recedentes , semper utroque genu flectere de-
bent.*

De hac reverentia SS. Sacramento debita
instruendus est populus ab iis , ad quos spe-
ctat.

10. Cæterùm attendi, & observari debet circa expositionem SS. Sacramenti Instructio, quæ pro Precibus 40. horarum, jussu Clementis XI. summi Pontificis edita fuit die 20. Januarii 1705. & sub Benedicto XIII. nec non Clemente XII. reimpressa, & confirmata, ac ab omnibus Urbis Ecclesiis ad praxim deducta est. In qua instructione, inter alia, sunt sequentia.

Baldachinum in loco eminenti pro SS. Sacramento sit coloris albi.

Nullus audeat accedere ad Altare, ubi est expositum SS. Sacramentum, ad accomodandum candelas, aut aliud ibi agendum; nisi sit Sacerdos, aut saltem Clericus indutus superpelliceo.

Prima, & tertia die, ultra Missam solemnem de Festo, cantetur Missa votiva de SS. Sacramento pro re gravi (videlicet cum *Gloria & Credo*) exceptis diebus sequentibus: omnibus Dominicis primæ, vel secundæ classis: omnibus Festis primæ, vel secundæ classis: feriâ quartâ Cinerum: feriâ secundâ, tertiâ, & quartâ septimanæ Sanctæ: vigiliis Nativitatis, & Pentecostes: omnibus diebus per octavas Paschæ, Pentecostes, & Epiphaniæ; in quibus diebus exceptis cantetur Missa solemnis de festo, adjuncta ~~orationi de festo~~ oratione de SS. Sacramento sub unica conclusione.

Durante expositione SS. Sacramenti, in
Mis-

Missis privatis non pulsetur campanula ad elevationem; sed solummodo detur signum solitum, dum Celebrans pergit ad Altare. Vide *cap. 2. n. 14.*

Dum est expositum SS. Sacramentum, non dicantur in illa Ecclesia Missæ de Requiem.

In Missis votivis, quæ dicuntur diebûs licitis, non dicitur *Gloria*, & *Credo* ratione Sacramenti expositi.

In aliis Missis privatis, quæ celebrantur de Festo, post orationes à Rubrica præscriptas, adjungatur oratio de SS. Sacramento.

Pallium, seu Antependium Altaris, in quo est expositum SS. Sacramentum, semper debet esse album; etsi Paramenta sint alterius coloris.

§. II.

De Communione distribuenda extra Missam.

1. **D**E Communione intra Missam distribuenda dictum est *Part. 2. tit. X. n. 6.* Tribûs distinctis temporibûs potest Communio distribui extra Missam: *Primò*: ante Missam à Celebrante: *Secundò*: post Missam ab eodem: *Tertiò* ab alio alio tempore.

2. Celebrans ante suam Missam absque justa urgente causa non debet alios communicare; ne illi, qui Missam expectant, afficiantur tædiô, aut ne aliarum functionum perturbetur, vel retardetur ordo. Quòd si causa urgente unus vel alter sit communicandus,

dus , tunc Celebrans deposito Calice à parte Evangelii , extensô Corporali in medio , & collocatâ Bursâ ad cornu Evangelii aperit Tabernaculum , genuflectit ; extrahit Pyxidem , seu Ciborium (quod juxta Rituale Romanum semper velô , seu palliolô albô debet esse coopertum : ergo malè adhibetur ruber , viridis , violaceus , aut alius color) illud reverenter deponit super Corporale , discooperit & deponit operculum super Corporale .

3. Interim minister , datô signô cum campanula pro Communionem , in latere Epistolæ genuflexus nomine Communicantium facit Confessionem dicens , *Confiteor* , &c. præparatis prius linteô , &c. ut *Part. 2. tit. X. n. 6.* dictum est. Confessione terminata Celebrans rursus genuflectit , &c. ut ibidem .

4. Post Communionem reversus ad Altare , deponit Ciborium super Corporale , genuflectit , postea cooperit Ciborium , deinde abluat digitos , quibus tetigit Sacramentum , in vasculo mundo ad hunc finem præparato ; extergit digitos Purificatoriô , & factâ iterum genuflexione , reponit Ciborium intra Tabernaculum ; iterum genuflectit , & clausô Tabernaculô , dat Benedictionem , ut infra n. 7. dicetur. Deinde ponit Calicem super Corporale , & legit Missam .

5. Si nullum adsit vasculum cum aqua pro abluendis digitis Sacerdotis , abluat eos in vase purificationis , quæ porrigitur communicatis ;

catis: & si non sunt amplius communicandi, injiciatur ablutio in sacrarium, & nulatenus asservetur in alterum diem.

Etiam aqua ablutionis digitorum mittenda est in Sacrarium; & si vasculum cum tali aqua remaneat in Altari, sit semper cooperatum, ac sæpius mundatô vasculô aqua renovetur; ne feces contrahat, aut ullam immunditiam.

6. Si Communio distribuenda est in fine Missæ, tunc minister agat, ea, quæ dicta sunt n. 3. Celebrans verò finitô ultimô Evangelio, accedit ad medium Altaris, & observat dicta à n. 2. Post Communionem reversus ad Altare, depositô ciboriô, & facta genuflexione, poterit submissa voce dicere antiphonam, *O Sacrum convivium*, &c. sicut habet Rituale Romanum, interim perficiendo reliqua, ut n. 4. dictum est.

7. Clausô Tabernaculô Sacerdos benedicit communicatis, juxta præscriptum Ritualis Romani hoc ritu: stans versùs Altare Sacerdos elevât oculos versùs Crucem, & extendens manus, atque jungens, caputque inclinans Cruci dicit, clara voce: *Benedictio Dei omnipotentis*; postea junctis manibùs convertit se ad communicatum, seu communicatos, ac positâ sinistrâ infra pectus, dexterâ formando perfectum signum Crucis, dicit: *Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, descendat super vos, & maneat semper*: & minister

nister respondet, *Amen*. Et hæc benedictio semper est danda extra Missam; nisi vigeat alia consuetudo; de qua infra n. 10. dicitur.

Si in Altari, ubi Communionem distribuit, sit expositum SS. Sacramentum, debet Sacerdos pro hac benedictione danda, facta in medio genuflexione, se retrahere aliquantulum ad cornu Evangelii, ne terga vertat SS. Sacramento.

Data Benedictione, plicat Corporale (nisi unà cum Ciborio illud reposuerit in Tabernaculo) ponit illud in Bursam; revolvit partem anteriorem veli super Bursam, &c. ut *Part. 2. tit. XII. n. 6.* dictum est.

8. Si alio tempore extra Missam Communionis est distribuenda, præparentur omnia requisita, ut supra dictum est; & accendantur saltem duæ candelæ super Altare. Sacerdos lotis manibus, indutus superpelliceo, & Stola albâ, vel coloris officii illius diei convenientis, facta in Sacristia imagini principali profunda inclinatione, postea testo capite, præcedente ministro, manibus ante pectus junctis, nisi Bursam cum Corporali deferendam habeat, pergit ad Altare.

9. Cùm ad Altare pervenerit, detegit caput, tradendo Birretum Ministro, genuflectit super intimum gradum Altaris, & erectus ascendit ad medium.

Minister genuflexus super infimum gradum,

dum, dat signum Campanulâ, &c. ut n. 3. dictum est.

Sacerdos extrahit Corporale de Bursa, quam deponit ad latus Evangelii; Corporale extendit, ac prope ipsum ponit in cornu Epistolæ Purificatorium, nisi hoc sit in Tabernaculo juxta Ciborium: & præstat omnia, ut à n. 2. dictum est. Postea redit ad Sacristiam, eo modo, quo venerat.

10. Ubi consuetudo à S. Romana Ecclesia approbata viget, post Communionem dandi benedictionem, non manu, sed Ciboriô, Calice, aut Pyxide, dari debet hoc ritu: lotis, & extersis digitis, Sacerdos facit genuflexionem, deinde erectus accipit Ciborium, ac tenens manu dextera nodum subter velum, seu Palliolum, & sinistra pedem illius (non ponendo manum extra, aut supra Palliolum) vertit se ad populum, ad latus suum dexterum, sicut ad *Dominus vobiscum*, & nihil prorsus dicens, benedicit omnî modô & ritu §. 1. n. 2. traditis. Reversus ad Altare, immediatè reponit Ciborium in Tabernaculum, & facta genuflexione, illud occludit. Deinde plicatô Corporali, & in Bursam repositô, descendit, facit in medio genuflexionem; & postea capite cooperto redit ad Sacristiam, uti venerat.

Hæc autem benedictio cum SS. Sacramento nunquam dari debet post Communionem ante Missam à Celebrante distributam; nec
ab

ab ullo Sacerdote intra Missam, seu durante Missa; nec post Missam, aut extra Missam, si paulò ante data fuit benedictio cum Ostensorio, aut paulò post danda sit in expositione SS. Sacramenti: nec unquam dari debet, dum expositum est SS. Sacramentum; sive sit in eodem, sive in alio Altari ejusdem Ecclesiæ expositum.

In Benedictione danda nunquam accipiendum, aut tenendum est Corporale sub Ostensorio, Ciborio, Pyxide, aut vase; sed illud relinqui debet super Altare, aut in Tabernaculo.

CAPUT QUINTUM.

De quibusdam aliis ad Missam Spectantibus, & illi adjacentibus, ac ad Dei cultum pertinentibus,

§. I.

De cultu, gravitate; de cæremoniarum, ac Rituum observantia; & de temporis spatio, in Missa Celebranda requisitis.

I. **S**ANCTISSIMUM Missæ Sacrificium talem exigit cultum, qui immunis sit ab omni Cæremoniarum, ac Rituum transgressione; omnis enim culpa, quæ in iis comittitur, est secundum Franciscum Suarez, & alios Doctores, de genere suo mortalis; venialis autem ob levitatem materiæ, aut alia ex causa. Et dicendum est, quòd omnis error, etiam in minimis, omissio, immutatio,

aut vitiosa verbi prolatio sit peccatum saltem veniale: si enim verbum otiosum, quantumvis leve, inutilis, seu vana cogitatio non effugiet rationem peccati, & teste æterna veritate *Matthæi* 12. 36. de his reddenda est ratio in die iudicii; quantò magis omnis error, qui committitur contra cultum divinum, & præcipuè in hoc Sacrosancto, ac divinissimo Sacrificio, in quo nihil pro levi æstimandum est, & quod ob altissima mysteria omnem requirit sedulitatem, & diligentiam, erit peccatum, de eoque ratio stricta reddenda?

2. Si hoc fortasse alicui rigorosum videatur: perpendat ea, quæ de celebratione Missæ statuunt, ac mandant Concilia, & summi Pontifices.

S. Pius V. in Bulla præfixa in principio Missalis Romani sic præcipit: *Mandantes, ac districtè omnibus & singulis... in virtute S. Obedientiæ præcipientes, ut (cæteris omnibus rationibus, & Ritibus penitus omisis) Missam juxta Ritum, modum, ac normam, quæ per Missale hoc à nobis nunc traditur, decantent, ac legant: neque in Missæ celebratione alias cæremonias, vel preces, quàm quæ hoc Missali continentur, addere, vel recitare præsumant, &c.* Ratio hujus præcepti liquet ex rei gravitate, quæ ad debitum divinum cultum spectat.

3. Concilium Tridentinum *Sess. 22. de observandis, & evitandis in celebratione Missæ*
 sic

fic habet: *Quanta cura adhibenda sit, ut Sacrosanctum Missæ Sacrificium omni Religionis cultu, ac veneratione celebretur, quivis facile existimare poterit, si cogitârit, maledictum in Sacris litteris eum vocari, qui facit opus Dei negligenter. Quòd si necessario fatemur, nullum aliud opus adeo Sanctum, ac divinum à Christi fidelibus tractari posse, quàm hoc ipsum tremendum mysterium, quo vivifica illa Hostia, qua Deo Patri reconciliati sumus, in Altari per Sacerdotes quotidie immolatur; satis etiam apparet, omnem operam, & diligentiam in eo ponendam esse, ut quanta maxima fieri potest, interioris cordis munditia, & puritate, atque exteriori devotionis, ac pietatis specie peragatur. Ita Concilium.*

¶ Audiant, & perpendant hoc illi Sacerdotes, qui cum tanta celeritate celebrant, ex qua resultat gravis irreverentia contra hoc tremendum Sacrificium; vel notabilis omis-
sio, aut confusio Sacrorum Rituum, vel verò grave Scandalum populi: & sciant, quòd ex sententia Doctorum graviter peccent. Hoc confirmatur ex eo, quòd Prælati, sive Ecclesiarum Sæcularium & Regularium Rectores, talem abusum severa reprehensione non corrigentes, graviter peccent; ad hoc enim tenentur in conscientia, ratione Prælationis, sive Officii, ac ex Concilio citato in decreto *de observandis, & evitandis in celebratione Missæ*: & peccant graviter, ajunt Do-

dores communiter ; etiamſi privati Sacerdotes peccarent ſolùm venialiter , quando periculum eſt , ne prava conſuetudo radices agat , & paulatim creſcat in divini cultus grave detrimentum ; & hoc proh dolor ! ob nimiam plurimorum Sacerdotum in celebrando feſtinationem , ac Sacrorum Rituum confuſionem , eveniſſe cernimus.

5. Quapropter Sanctiſſimus Chriſti Vicarius Benedictus XIV. in Epistoſa ſua die 19. Febr. 1749. ad Episcopos data , inter alia pium ac doctum Cardinalem Bellarminum ita querentem adducit : *aliud eſt etiam lacrymîs uberrimîs dignum , quòd ob nonnullorum Sacerdotum incuriam , aut impietatem Sacroſancta myſteria tam indecorè tractentur ; ut qui illa tractant , videantur non credere , Majeſtatem Domini eſſe præſentem ; ſic enim aliqui (utinam non multi) ſine ſpiritu , ſine affectu , ſine timore , & tremore , feſtinatione incredibile ſacrum perficiunt , quaſi fide Chriſtum Dominum non viderent , aut ab eo ſe videri non crederent , &c.*

6. Siſtite gradum , celeres Sacerdotes , & priuſquam accedatis ad Altare , Judam conſiderate.

Sacrilegiſſimum oſculum infeliciffimi proditoris S. Matthæus hiſ verbis declarat : *confeſtim accedens ad Jeſum ... oſculatus eſt eum.* 26. 49. ubi doctiſſimus Joannes à Sylveira ſic ait : *audacter , & inverecundè , cum magna feſti-*

festinatione. Hīs tribūs verbīs repræsentantur illi Sacerdotes, qui absque gravitate, debito cultu, ac reverentia Missam celebrant. Hi fratres sunt Iscariotis, abutentes suprema Sacerdotali dignitate contra JESUM, qui eis idipsum dixisse videtur, quod in ultima cœna ad Judam locutus est: *quod facis, fac citius.* Joan. 13. 27.

7. Tales Sacerdotes, qui à debita S. Romanæ Ecclesiæ obedientia deflectunt, & ad mundi leges se convertunt, festinationis culpam sic prætexunt: Missa longior tædiô afficit audientes, qui tempus non habent diu se detinendi in Ecclesia. Verum dicunt, sed audiant aliud verum.

8. Inveniuntur quamplures omnis statûs & conditionis homines, qui multas horas lusibûs, confabulationibûs, murmurationibûs, tripudiis, otiô, & pejoribûs peccatîs terunt: qui in Ecclesia Sacrum audituri, tempus non per horas, nec per quadrantes, sed per instantia, & momenta dimetiuntur. Hos æquissimè redarguit S. Augustinus *Serm. 251.* de tempore hīs verbīs: *Adhuc quoque (quod valde dolendum est) conqueri vobiscum volo, quòd sunt aliqui, & maxime potentes istius mundi, qui dum veniunt ad Ecclesiam, non sunt devoti ad laudes Dei: sed cogunt Presbyterum, ut abbreviet Missam, & ad eorum libitum cantet: nec ei licet morem Ecclesiasticum sequi, propter illorum gulam & averitiam; quatenus*

unus punctus diei ad Dei officium, & reliquum diurnum spatium simul cum nocte ad eorum deputetur voluptates. Ita S. Pater.

9. Quid vobis videtur, Reverendi Sacerdotes? estne hoc christianum, infumere plures, & proh dolor! plurimas horas diurnas & nocturnas pro alendo, & oblectando corpore, & nolle modicum temporis ad SS. Missæ Sacrificium requisiti, celebrando, aut audiendo impendere? nullo modo. Et quæ est ratio, quòd plerique brevem Missam desiderent? Sacerdotes celeres, qui Judæos perfidos imitantur.

10. Volens Pilatus liberare innocentissimum JESUM ex manibus Judæorum, eos interrogavit, quem de duobus velint dimitti, JESUM, an vinctum insignem, & notum flagitiis Barabbam? *Matth. 27. 17.* Et ecce exclamavit simul universa turba: dimittatur Barabbas, & crucifigatur JESUS. *Luc. 23. v. 18. 21.* quæ causa hujus Sacrilegæ petitionis? hanc clarissimè exprimit Evangelista Matthæus hîs verbis: *Principes autem Sacerdotum, & seniores persuaserunt populis, ut peterent Barabbam, Jesum verò perderent. 27. 20.* Hic habes rationem, cur populus quærat, desideret, & petat Missam brevem. Sacerdotes celeres festina sua celebratione persuadent populo, Missam expeditè, & celeriter esse celebrandam.

11. Et talis Missa ignominioso nomine à mul-

multis appellatur *Missæ venatorum* : quo nomine declaratur munus horrendum Sacerdotum celeriter celebrantium ; nam cum dicitur *Missæ venatorum*, propriissimè intelligi debet , *Missæ dictæ à venatoribus* ; à quibus venatoribus ? à venatoribus diaboli , qui festina sua celebratione homines venantur , & à *Missis*, quæ cum debita mora celebrantur , avertunt.

Tales venatores audiant præclarissimum Patrem Raphaelem ab Herissonio , qui in sua *Manuductione Sacerdotis* annò 1690. Lugduni edita sic ingemiscit : *Timendum est valde, ne magna pars Sacerdotum hujusmodi, qui Missam præcipitant, in infernum præcipitentur.*

12. Hæc Sacerdotes celeriter , & negligenter celebrantes cordi sibi sumant : corrigant abominabilem hunc errorem : allaborent per Sacrificium placere Deo , non hominibus , perpendentes illud divi Pauli ad Gal. 1. 10. *Si adhuc hominibus placerem , Christi servus non essem.*

Audiant devotissimum Thomam à Kempis sic loquentem : *Sacerdos sacræ vestibûs indutus Christi vices gerit ; ut Deum pro se , & pro omni populo suppliciter , & humiliter roget.*

Cogitent , quòd ad Altare Dei repræsentent personam illius , qui post modicum erit illorum Judex ; & recogitent , qua gravitate ,

modestia , & devotione talis persona agi debeat.

Studeant celebrare secundùm Rubricas , præcipientes , ut Sacerdos non admodùm festinanter proferat ea , quæ legit. Legat proinde expeditè , atque distinctè ; non nimis tardè , nec celeri cursu ; sed mediocritatem in omnibus servet ; maximè verò pietati studeat : nec legat nimis morosè : non sit languidus , & cunctabundus in perficiendis cæremoniis ; ne audientes tædiô afficiat.

13. Debet autem Sacerdos tantum temporis spatium in Missa celebranda infumere , quantum requiritur , & commodè satis est ad tria sequentia. *Primò* ad pronunciandum omnia integrè , reverenter , & devotè , quæ in Missa sunt dicenda. *Secundò* ad perficiendas omnes cæremonias , in actione consistentes , ordine & modò à Rubricis præscripto , ea gravitate & moderatione , quæ tantum decent Sacrificium. *Tertiò* pro applicatione mentis ad illorum intelligentiam , quæ in Missa dicuntur , & fiunt.

Ad hæc autem tria observanda , & implenda in celebratione Missæ , requiritur , & sufficit , juxta communem Doctorum sententiam , media hora.

Missæ autem non incipit , dum Sacerdos ad eam se præparat , dum se lavat , se induit ; nec dum procedit ad Altare , aut ibi sistit : sed Missæ incipit , dum Celebrans ante
infi-

infimum gradum Altaris stans, signô Crucis se signat, dicens intelligibili voce. *In nomine Patris, &c.* Et cum ultimo Evangelio Missa terminatur; & pro hac requiritur media hora. Cætera omnia, tam præcedentia, quàm subsequentia non habent rationem Missæ, pro qua media hora requiritur. Et hoc intelligi debet de Missa ordinaria: nam ad Missam extraordinariam, quæ habet Passionem, aut multas orationes, vel plures Epistolas, &c. amplius temporis requiritur.

14. Ajunt quidam, quòd majorem habeant attentionem, & meliùs pronuncient, dum festinanter celebrant. Sed his nullatenus est credendum; quia hoc esse non potest: pugnat enim cum natura eorum, quæ tractantur; ponunt namque impedimentum acceleratione, & voluntate citò absolvendi Missam; ut actu non valeant debite attendere his, quæ dicunt & agunt.

15. Alii dicunt, se minùs distrahi, cùm festinanter celebrant. His est credendum; quia cum modico tempore in celebratione se detineant, habent minus temporis, ut distrahantur: sunt enim distracti modico illo tempore; & si diutiùs se detinerent, diutiùs essent distracti. Hoc autem illos non excusat, quin potiùs incusat, & ad obtinendam attentionem obstringit, quæ per accelerationem, minimè obtinetur.

§. II.

De munditie requisita in iis, quæ spectant ad ministerium Missæ, & Altaris.

1. **O**Mnes fateri debent, munda, nitida & decentia esse debere omnia, & singula, quæ ad cultum divinum, Altaris ministerium, & ad Sacrosanctum Missæ Sacrificium pertinent: Ecclesiæ, Capellæ, Oratoria, Sacristiæ & omnis ornatus eorum, ac Sacra supellex. Hæc tamen decentia, & mundities ab omnibus non observatur; videtur enim pluribus in locis Domus Dei deturpata telis araneorum, pulveribus, sordibus, aliisque immunditiis, quæ nec in cubiculo, aut cœnaculo domestico sustinentur; hæc namque habitacula, personarum saltem honestarum, quotidie everri, & omni sorde purgari debent: at non sic Domus Dei.

2. Pro vestiendo, & ornando corpore omnes sunt solliciti: famuli & famulæ assidue operari & curare debent, ut minorum suorum supellex domestica, quæ dedicata est corpori, mensæ, lecto, &c. integra & munda fervetur, immunda lavetur, lacera reficiatur, & semper decens ac nitida ministretur: secus facientes, aut corriguntur, aut planè dimittuntur; & benè; hæc enim exigit vitæ honestas, & officium conductorum.

3. Non sic, proh dolor! curatur Domus Dei, ejusque supellex; quia plures nec per
se

se ipsos, nec per suos Sacristas, ædituos, aut alios ministros ad decentiam, & munditiam attendunt. Hinc non rarò inveniuntur Ecclesiæ, Capellæ, Sacristiæ, Oratoria, ruri præsertim, & in Castris, similia (quod dictu horrendum) speluncis latronum: Sacræ vestes Sacerdotales sæpiùs sunt detritæ, lacerae, aut sordidæ: Mappæ Altaris, manutergia, & alia adeo maculata & sordida: quòd nec pro mensa domestica adhiberentur: ampullæ & pelvicula ita infectæ pulveribûs, & immundæ, quòd nauseam creent: Corporalia & Purificatoria, quæ semper mundissima esse debent, sæpiùs sunt tam immunda, quòd absque horrore spectari non possint. Quid de Calice, & aliis ad Sacrosanctum Missæ Sacrificium requisitis? Et tamen in locis tam immundis, & cum tali supellectili celebratur, sæpiùs celebratur, & quotidie celebratur, absque scrupulo, absque remorsu conscientiæ.

4. Sciant proinde omnes, quorum interest invigilare; quòd peccent, si debitam curam non gerunt, ut omnia supradicta munden- tur, ac munda, & decentia conserventur: peccant autem graviter, vel leviter; prout major, vel minor fuerit indecentia, aut immunditia.

5. Vestes Sacerdotales pro Sacrificio Missæ debent esse integræ, decenter mundæ, ac pulchræ, ut habet Missæ ritus *tit. 1. n. 2.* non sint

sint laceræ, nec scissæ, sed convenientes splendori, ac majestati tam sublimis, atque Sacri Ministerii.

Peccat Sacerdos mortaliter, ex sententia Doctorum, si immundas enormiter, vel laceras admittit; quia est præceptum naturale, tractandi reverenter, atque exercendi hoc Sacrum, ac tremendum Ministerium. Et si immunditia non sit notabilis, erit peccatum veniale.

6. Adhibere ad Sacrificii usum mappas, si-ve tobaleas immundas, vel laceras, est peccatum saltem veniale: & si enormiter sint immundæ, vel fœtidæ, est peccatum mortale, ajunt Doctores: quod multò magis intelligi debet de Corporalibus, Purificatoriis, &c.

7. Caveant ergo diligenter Sacerdotes, & omnes illi, qui curam habent Ecclesiæ, Sacristiæ, Oratorii; ut mudentur, & munda conserventur, unà cum vestibus Sacerdotalibus, & omnibus aliis ad Sacrum Ministerium destinatis. Si quæ sunt immunda, si-ve mora auferantur, & apponantur munda, ac conserventur in sua nitiditate.

8. Meminerint etiam, quòd erga Sacram suppellectilem divino servitio mancipatam reverentia haberi, ac exquisitâ curâ & diligentia coli debeat: & quòd non omnis supellex à quocunque tangi possit, nec à quocunque abluì.

Et

Et quæ usui amplius esse non possunt, nequaquam in profanos usus sunt detorquenda, sed debent comburi, & cineres inferri in Sacrarium.

§. III.

De Aspersione Altaris, & populi cum aqua Benedicta.

1. **P**Ræscribunt Missale, & Rituale Romanum, ut omnibûs diebûs Dominicis benedicatur Aqua, & cum ea aspergatur populus. Contra hunc Ritum agunt illi, qui quidem faciunt aspersione, sed ex aqua jam præcedentibus diebûs, & fortasse à tempore notabili benedicta; sed hoc malum est: debet enim aqua benedicta renovari qualibet hebdomada, ad evitandam facilem ejus corruptionem, & cõmixtionem cum sordibus; quia difficilè remanet, aqua pura extra suum fontem exposita per integram hebdomadam: habetque hæc renovatio suum mysterium, significando singulis Dominicis memoriam Sacramenti Baptismatis. Excipiuntur Dominicæ Resurrectionis, & Pentecostes, in quibus aqua non benedicatur in illis Ecclesiis, ubi adest fons Baptismalis; quia in prædictis duabus Dominicis fit aspersio cum aqua pridie Benedicta in fonte Baptismali, ad hunc finem reservata in aliquo vase.

2. Hæc benedictio in Dominicis est Sacerdotis

dotis Missam celebraturi. Induit proinde in Sacristia super Albam, Stulam Missæ convenientem, & benedicit in Sacristia, aut in Ecclesia Sal, & Aquam, uti præscribitur in Rituali Romano, & in fine Missalis. Si autem hæc Benedictio non à celebraturo, sed ab alio fiat Sacerdote die Dominico, aut Sabato præcedente, tunc is sit indutus superpelliceo, & Stola violaceâ.

Potest etiam hæc Aquæ Benedictio fieri, quodcumque opus fuerit, etiam extra Ecclesiam & Sacristiam, in omni loco decenti.

3. Sacerdos celebraturus induit Pluviale (si adsit) super albam, & Stulam, in modum Crucis de more aptatam: & detecto capite, unâ cum ministro, seu ministris, profundam facit Cruci, seu imagini Sacristiæ inclinationem; deinde tegit caput, ac manibus ante pectus junctis, & oculis demissis procedit ad Altare, præcedentibus Ministris, qui portant vas Aquæ Benedictæ cum aspersorio, ac librum seu tabellam pro dicenda Oratione; nisi hæc prius sint præparata ad Altare.

4. Cùm pervenerit ante infimum gradum Altaris, detegit caput, dat Birretum ministro, & facit profundam inclinationem: si ibi sit Tabernaculum SS. Sacramenti, facit genuflexionem: si sit expositum SS. Sacramentum, observat dicta *cap. 2.*

5. Ubi moris est, ut celebraturus secum deferat Calicem ante asperionem, tunc in

Sacristia observat dicta *Part. 2. tit. 2. n. 1.* & cum pervenerit ad Altare, factâ, ut supra, debitâ reverentiâ, ascendit ad medium, extendit Corporale, collocat in medio Calicem, aperit in cornu Epistolæ Missale, redit ad medium & facta Cruci profunda inclinatione, descendit ad planum, ubi flectit utroque genu super infimum gradum; accipit aspersorium modestè madefactum, à Ministro à dextris genuflexo, qui primò aspersorium osculatur in ima parte manubrii, postea dexteram Celebrantis in parte exteriori.

6. Celebrans acceptò Aspersoriò, genuflexus, etiam tempore Paschali, intonat Antiphonam: *Asperges me*, vel tempore Paschali: *Vidi aquam*, aspergendo modestè ter Altare, id est frontem illius: primò in medio, deinde versùs cornu Evangelii, tertio versùs cornu Epistolæ. Si autem in Altari est exposita SS. Eucharistia, tunc Altare non aspergitur, nec minister quidquam osculatur.

7. Postquam Celebrans aspersit Altare, & intonuit antiphonam, juxta Cæremoniale Episcoporum, adhuc genuflexus aspergit seipsum, signando aspersoriò madidò suam frontem: mox surgit, & stans aspergit Ministrum, seu Ministros adhuc genuflexos; qui deinde surgunt, & factâ, unâ cum Celebrante, debitâ reverentiâ, unus ministrorum præcedit cum aqua Benedicta, ac sequitur Celebrans ad faciendam aspersionem, sub

qua dicit secretò totam Antiphonam, & Psalmum *Miserere*, in quantum poterit, tenendo manum sinistram semper supra pectus extensam.

8. Si intrandum est ad Chorum, tunc accedit primò ad superiorem, seu digniorem; & factâ ei reverentiâ, eum aspergit; & factâ ei iterum reverentiâ, vertit se ad digniores existentes à dextris, quibus se inclinatur, eosque quasi in circulum unica aspersione aspergit: postea vertit se ad partem sinistram Chori, & idem præstat; deinde aspergit etiam alios in Choro existentes; & tandem pergit ad Ecclesiam, ubi descendendo per medium, aspergit illos, qui sunt ex parte Epistolæ; & redeundo per eandem viam, aspergit illos, qui sunt ex parte Evangelii. Debet autem aspersoriò Aquam vibrare in altum, & non rectâ eam projicere in facies hominum. Debet quoque attendere, ne aqua pertingat ad aliquod Altare, præsertim si ibi celebratur Missa. Minister cum aqua Benedicta debet semper incedere ad dexteram Celebrantis.

9. Transeundo ante Altare majus, semper facit profundam inclinationem, & ante Tabernaculum Sacramenti, genuflexionem.

Si tantus sit Populus, quòd Celebrans commodè non possit transire per Ecclesiam, tunc juxta cancellos Presbyterii aspergat illuc confluentes triplici istu scilicet in medio, à dextris, & à sinistris.

10. Terminata asperſione Celebrans redit ad Altare, & factâ ibi debitâ reverentiâ, ſtans ante infimum gradum, reddit aſperſorium Miniſtro oſculanti manum Celebrantis: miniſter tradit Celebranti librum, ſeu tabel- lam, quæ nunquam eſt ponenda ſuper gra- dum, aut ſuppeditaneum. Celebrans ſtans can- tat, ſeu clara voce dicit verſus & Orationem. Poſtea factâ debitâ reverentiâ tegit caput, & præcedente Miniſtro redit ad Sacriſtiam, ubi Capite aperto facit Cruci profundam inclina- tionem; deponit Pluviale, ſi habuit; acci- pit Manipulum, & Planetam, &c. ut *Part. 2. tit. 2. à n. 1.* dictum eſt.

11. Quòd ſi Calix jam ſit in Altari, & Celebrans non ſit rediturus ad Sacriſtiam, non debet accipere Manipulum, & Plane- tam in medio Altaris, nec in ſuppeditaneo, ſed in plano verſus cornu Epistolæ, quò Mi- niſter ſub oratione ea afferre debet, ne Cele- brans expectare cogatur.

Dicta proinde oratione Celebrans facit in medio, ubi ſtetit, debitam reverentiam, & pergit verſus cornu Epistolæ, ubi in plano converſus ad Altare deponit Pluviale, ſi ha- bet: accipit Manipulum, cum ſolito oſculo Crucis, & Planetam, dicendo Orationes con- venientes, poſtea ſtatim revertitur ad me- dium, ubi factâ debitâ reverentiâ, ſine mo- ra incipit Miſſam.

§. IV.

De Processionibus.

1. **P**ublicæ, sacræque Processiones, seu sup-
plicationes, quibûs ex antiquissimo SS.
Patrum Instituto Catholica Ecclesia, vel ad
excitandam fidelium pietatem, vel ad com-
memoranda Dei beneficia, eique gratias agen-
das, vel ad divinum auxilium implorandum
uti consuevit, qua par est Religione, cele-
brari debent.

Processiones autem quædam sunt ordina-
riæ, quæ fiunt certis diebûs per annum: quæ-
dam verò sunt extraordinariæ, quæ variis,
ac publicis Ecclesiæ de causis indicuntur. Quo-
modo hæ & illæ institui, ac peragi debeant,
præscribit Rituale Romanum *tit. de Proces-
sionibus.*

2. Missale Romanum de sequentibus Pro-
cessionibus præscribit, uti sequitur.

Pro benedictione Candelarum, & Procef-
sione in festo Purificationis B. V. M. Sacer-
dos induitur Amictu, Albâ, Cingulô, Stolâ,
& Pluviali (si adsit) Violaceis, sine Manipu-
lo; quia Manipulus nunquam adhibetur cum
Pluviali: & extra Missam, etiam absque Plu-
viali, nullus est Manipuli Sacerdotalis usus.

Pro benedictione Palmarum, & Processio-
ne in Dominica Palmarum eodem modo in-
duitur Sacerdos.

Pro Processione fer. V. in Cœna Domini
ad

ad Sepulchrum; Celebrans finitâ Missâ accedit ad medium Altaris, genuflectit; pergit ad cornu Epistolæ, & ibi per gradus laterales descendit ad planum, ubi conversus ad Altare, deponit Planetam, & Manipulum, & accipit Pluviale albi coloris: postea per planum vadit ad medium Altaris ante infimum gradum. Si autem non adsit Pluviale, non descendit, sed in cornu Epistolæ deponit solum Manipulum, retentâ Planetâ, quæ hodie est locò Pluvialis: ac reversus ad medium, genuflectit, descendit, & in plano flectit utroque genu supra infimum gradum, ac facta profunda inclinatione, surgit, ponit thus in thuribulum, incensat, &c. ut *cap. 4. §. 1. n. 1.* dictum est. Postea peragit alia, ut in Missali.

Hic notanda sunt duo decreta S. R. Congregationis: *Color violaceus, quo tempore Passionis Crux est cooperta in Altari, nunquam est mutandus* 16. Nov. 1649. Secundum: *Non licet in Ecclesiis, in quibus non asservatur SS. Sacramentum, Celebratio Missæ fer. V. in Cœna Domini; nec ejusdem augustissimi asservatio in Sepulchro.* 14. Jun. 1659.

Hac ipsa die instituitur Processio ad locum deputatum pro faciendo mandato, seu pedum lotionem, pro qua Rubrica Missalis sic præscribit: hora competenti factò signò cum tabula conveniunt Clerici ad faciendum mandatum. Prælatus, seu Superior super Ami-

Stu, & alba induitur Stolâ, & Pluviali (si adfit) violaceis, & in loco ad id deputato, ministrante Diacono, qui paratus Paramentis albis ei assistit, &c. ut ibi.

Pro Processione fer. VI. in Parasceve ad Sepulchrum, tam Sacerdos, quàm ministri Sacri debent esse induti Paramentis nigris, sicut habet Missale.

3. Curare debent Sacerdotes, aliique Ecclesiastici, ut in omnibus Processionibus ea modestia, ac reverentia ab omnibus & singulis adhibeatur, quæ piis, & Religiosis hujusmodi actionibus maximè debetur. Et in hoc Ecclesiastici, & Religiosi optimò exemplò laicis prælucere tenentur.

4. Omnes decenti habitu induti, graviter & modestè, ac devotè bini suò locò procedentes, sacris precibus ita sint intenti; ut remoto risu, mutuòque colloquiò, & vago oculorum aspectu, populum etiam ad piè, devotèque precandum invitent.

5. Curare etiam debent, ut continuato, & convenienti ordine omnes per viam semper procedant, huc illucque eundo: in quem finem deputentur duo, aut tres, qui ordini observando invigilent; & moneant, dum sistendum, dum procedendum est.

6. Bini incedentes nunquam debent conjungi, sed sit inter illos semper tale spatium, ut alius in medio illorum stare valeat. Inter binos, & binos autem, seu inter par & par,

par, maneat semper duplum tale interval-
lum: hocque est observandum, tam inter-
standum, quàm inter eundum; si proinde
primum par consistit, consistent illicò omnes
alii; & incedentibus postea primis, statim
incedant omnes alii. Quòd si ob moram alio-
rum subsequen-
tium prioribus sit subsisten-
dum, tunc unus ex ultimis decenti voce
moneat præcedentes, id est penultimos, &
penultimi statim moneant antepenultimos,
ac sic deinceps, interim semper incedentes;
& dum primi subsistunt, statim omnes sub-
sistant. Dum autem iterum procedendum
est, moneant ultimi præcedentes, &c. ut
supra; & dum primi se movent, moveant
omnes: sicque semper idem ordo, & eadem
distantia inter illos observabitur.

7. Non solum autem Ecclesiastici, & Re-
ligiosi, sed etiam alii in Processionibus bini,
& bini procedant; & in hunc finem instru-
endi sunt ab illis, ad quos spectat. Et de-
bent laici à Clericis, & fæminæ à viris se-
paratè incedere.

Hic notandum est sequens decretum: *Con-
fraternitates laicorum in Processionibus proce-
dunt ante Regulares, quas iidem Regulares
sequuntur; postremò digniorem locum obtinet
Clerus sæcularis.* S. R. C. 7. Aug. 1621.

8. In Processionibus, in quibus defertur
SS. Sacramentum, vel Lignum S. Crucis,
tam Clerus, quàm sæculares detecto capite

incedere debent: ita S. R. C. 2. Sept. 1690. Non ideo tamen sint Clerici absque Birreto, sed gestent illud manu ante pectus, altera manu candelam; qui incedit à dextris, gestat candelam manu dextera; qui est à sinistris, gestat eam manu sinistra.

De Reliquia SS. Crucis S. R. Congregatio 15. Sept. 1736. etiam sequentia decrevit: *Primò*: post expositionem Reliquiæ SS. Crucis, vel post ejus delationem in Processione, benedicendus est populus cum ipsa. *Secundò*: Dicta Reliquia non est incensanda à Celebrante genuflexo. *Tertiò*: Non est genuflectendum à Capitulo, & Clero processionaliter transeuntibus ante Altare, in quo recondita est Reliquia SS. Crucis.

9. SS. Sacramentum, quod in Processione defertur, incensatur à duobus, aut saltem ab uno, hoc modo: incedant unus à dextris, alter à sinistris: prior habet Thuribulum è manu sinistra pendens, ac in dextera naviculam: alter habet Thuribulum è manu dextera pendens, & in sinistra naviculam; moventque graviter, & modestè alternatim Thuribulum tractibûs longioribus erga Sacramentum productis: si est unicus, sit à dextris. Ita habet praxis communior, præsertim Basilicarum Urbis.

Hic notandum est sequens decretum: *Absque Pluviali non licet in die, & infra Octavam*

vam SS. Corporis Christi peragere Processionem cum SS. Sacramento. S. R. C. 22. Jan. 1701.

10. Ubi in Processione, in qua non deferretur SS. Sacramentum, vel Lignum SS. Crucis, Clerus, & Regulares recto capite incedunt, debent omnes uniformiter, etiam Cruciferarii, caput tegere. Si in Processione non deferretur SS. Sacramentum, tunc transeuntes proximè januam alicujus Ecclesiæ, in qua asservatur SS. Sacramentum, faciant versùs illud genuflexionem unico genu, sicut quando in Ecclesia transeunt ante Tabernaculum Sacramenti: Si autem longiùs à porta Ecclesiæ transeunt, vel si, dum proximè transeunt, interstant homines, tunc nullam reverentiam faciant.

Hic notandum est sequens decretum: *Genuflectendum est semper ab omnibus transeuntibus ante SS. Sacramentum, etiam dum fiunt Processiones per Ecclesiam. S. R. Congr. 14. Decembris 1602.*

CAPUT SEXTUM.

De necessaria dispositione Sacerdotis.

§. I.

De Preparatione ad Missam.

1. **C**UM nullum aliud opus adeo Sanctum, ac divinum sit, quàm tremendum Missæ Sacrificium; hinc clarum est, quòd ad tanti ministerii functionem diligenter se de-

beat præparare Sacerdos; nam communi SS. Patrum consensu, quilibet imparatus accedere prohibetur. O quàm multi hodie hanc negligunt præparationem! & ideo quàm pauci in profectu virtutum perfecti! multi non dijudicantes Corpus Domini, ad ejus mensam, tanquam ad communem, & profanum cibum accedunt.

2. Dispositio, seu præparatio ad SS. Misæ Sacrificium, & sumptionem SS. Sacramenti consistit in interiori hominis munditia, & exterioris devotionis specie.

Præparatio necessaria est duplex: una generalis, seu remota; altera particularis, seu proxima. Prima est principalis, & magis necessaria; & consistit in hoc, ut tota Sacerdotis vita præparatio sit ad dignè celebrandum.

Hanc præparationem exigunt, tam nomen, quàm dignitas Sacerdotis.

Nomen: *Sacerdos* enim est quasi *Sacra dans*, vel *Sacra dos*, id est, ipsamet Sanctitas; vel *Sacer dux*, vel *Sacra docens*; quia debet docere verbò, ducere exemplò, Sanctus esse, & Sacra aliis dare, ut Sancti fiant. Tam Sanctum est Sacerdotii nomen, ait S. Isidorus Hisp. ut nulla vitiorum nota maculari se sinat.

3. Exigit hanc præparationem dignitas Sacerdotalis, quia est summa dignitas, & res excellentissima, quam in rerum natura Deus instituit, attestantibûs Sanctis Patribûs, qui
 sic

fic loquuntur. S. Ambrosius: *Nihil est in hoc sæculo excellentius Sacerdotibûs.* S. Isidorus Pelus. *Divina quædam res est Sacerdotium, ac rerum omnium præstantissima.* S. Macarius: *Perpende dignitatem tuam, Sacerdos, quàm sis pretiosus; nam Angelis te fecit Deus præstantiorem.* Quapropter dicit Angelicus Doctor S. Thomas, debent esse quatuor conditiones in Sacerdote: Sanctitas, innocentia, puritas, bonorum conversatio.

4. Ex his infertur, quòd Sacerdos ad summum perfectionis apicem, quantum in ipsius est potestate, conari, & tendere debeat; adeo, ut ipsius vita instar normæ sit, ad quam actiones suas cæteri quicumque comparare teneantur. Hinc ait S. Eusebius Cæsariensis: *In Sacerdote tanquam in speculo relucere debet perfectio.* Hanc Sacerdotali dignitati annexam obligationem S. Joan. Chryf. his verbis declarat: *Necesse est Sacerdotem sic esse purum, ut, si in ipsis cælis collocatus, inter cælestes illas virtutes medius staret.* Item: *Sacerdotis animum solaribus radiis puriorem esse oportet; ut dicere illi liceat: vivo ego, jam non ego, vivit verò in me Christus.*

5. Hanc puritatem Sacerdoti necessariam homines Sancti optimè intellexerunt; & ideo multi, etsi forent integritate, ac religione illustres, Sacerdotiò tamen initiari prorsùs noluerunt. Inter hos est Seraphicus Patriarcha Franciscus, cui apparens Angelus,

gelus, phialam crystallinam, liquore clarissimo plenam ostendit, dicens: *Francisce, tam puram, sicut hic est liquor, decet animam esse Sacerdotis.* Tanta verò erat resplendentis liquoris Claritas, ut vir ille Sanctissimus de Sacerdotio præsumere non auderet. Et hic Sanctus Pater in suis Opusculis ad Sacerdotes sic loquitur: *Videte dignitatem vestram, fratres Sacerdotes, & estote Sancti; quia ipse Sanctus est, quem sumitis.*

6. Sanctimoniam Sacerdoti necessariam aureus Thomas à Kempis his verbis edisserit: *Sacerdos omnibus virtutibus debet esse ornatus, & aliis bonæ vitæ exemplum præbere; ejusque conversatio non cum popularibus, & communibus hominum viis, sed cum Angelis in cælo, aut cum perfectis viris in terra.* Et hæc est præparatio generalis, seu remota, quæ ad SS. Missæ Sacrificium celebrandum requiritur.

7. Verumtamen quantumvis Sacerdos sit Sanctimoniâ præstans, debet nihilominus se disponere ad Missam singulari studio, curâ, & diligentia: & hæc dispositio dicitur præparatio particularis, seu proxima: quæ quamvis in multis consistat, hæc tamen ad duo præcipuè reducitur; videlicet, ad puritatem, & orationem; quia in his cætera includuntur.

8. Puritas triplex esse debet: puritas fidei; puritas intentionis, & puritas conscientie. De puritate fidei nihil hæc est dicendum;

dum; cùm agatur de Sacerdotibus Catholicis, qui instructi sunt veritate fidei, quam Ecclesia Romana profitetur: licet non pauci ad Altare Dei ita se gerant, quasi non crederent; de quibus loquitur Apostolus ad Tit. I. 16. *Confitentur se nosse Deum, factis autem negant.*

9. Altera est puritas intentionis, quæ ad ritè celebrandum valde necessaria est; quia omnes actiones humanæ speciem sumunt ab intentione, qua fiunt. Qualis ergo requiritur intentio ad celebrationem Missæ? Ante responsionem sciendum est, gravi reprehensione dignos esse eos Sacerdotes, qui sola ducti consuetudine, ad divina quotidie accedunt, & sine consideratione ad cælestia feruntur, sicut horâ cœnæ ad cœnaculum, cùm eò vocantur; tales enim non dijudicant Corpus Domini. Illi quoque sunt reprehensibiles, qui ad divina se conferunt, temporalis lucri causâ, sive propter stipendium: quamvis enim sit licitum ob celebrationem mercedem aliquam recipere, nefarium tamen est, celebrare eo fine, aut ista intentione tanquam principali. Et de talibus S. Bonaventura sic loquitur: *Cùm divina mysteria accipiunt, non cœlestem panem, sed terrenum querunt: non spiritum, sed lucrum: non Dei honorem, sed quæstum pecuniarum: & ita Corpus Domini non tam accipiunt, quàm rapiunt; quia accedunt non vocati à Deo, sed impulsivi à sua cupiditate, & avaritia.* 10. Re-

10. Respondetur nunc ad quæsitum num: præcedentis: Sacerdos celebraturus, & celebrans debet destinare suam intentionem ad bonum finem, & quidem *Primò*: ad gloriam Dei. *Secundò*: ut Christo obsequium præstet. *Tertiò*: ad honorem & venerationem Sacratissimæ Deiparæ, aut quorumlibet Sanctorum. *Quartò*: ad utilitatem Ecclesiæ universalis, augmentum fidei, & Religionis christianæ. *Quintò*: ad exercendam charitatem erga proximos, vivos, & defunctos. *Sextò*: ad augmentum, & exercitium amoris divini. *Septimò*: in gratiarum actionem pro divinis beneficiis. *Octavò*: ad satisfactionem pro peccatis. *Nonò*: ad obtinenda beneficia. *Decimò*: pro participatione meritum Christi, quæ copiosè communicantur in SS. Sacramento; unde & communio appellatur. Ad hos ergo fines dirigat Sacerdos Missam, & habeat suas intentiones; nec una alteram impediet: poterit tamen eam magis respicere, ad quam affectus erit pronior, aut cujus ope magis indigebit.

11. Tertia est puritas conscientiæ, ad dignè celebrandum necessaria. Duobûs modis potest Sacerdos esse indignus ad celebrandum, & malè dispositus ad recipiendum Sacramentum. *Primò*, si per peccatum mortale est inimicus Dei. *Secundò* propter venialia peccata, si frigidam habet charitatem, care-

careatque virtutibus, quibus illum decet disponi ad dignè recipiendum Sacramentum.

12. Si est in peccato mortali, tenetur se disponere per Confessionem Sacramentalem; nec sufficit contritio, dum habet occasionem confitendi. Et quis audebit accedere ad mensam divinam, peccati mortalis labe infectus? utinam nullus! accedunt, proh dolor! plures secundum animam mortui, quod S. Bernardus *serm. 1. in Cœna Domini* deplorat his verbis: *Cruentâ conscientiâ ad divina accedunt Sacrificia; comedunt sine timore, & sine reverentia carnes Agni, qui præsidet in cœlo, sicut carnes, quæ venduntur in foro: non sicut Sacerdotes assistunt in Altario, sed sicut carnifices in macello.* Et valde mirandum, quòd Deus sufferat injuriam, & opprobrium, quod ab hujusmodi sibi infertur. Quomodo fieri potest, ut non absorbeat eos terra, nec vivi sepeliantur in inferno.

13. Fateri debemus, in hoc maximè patientiam Dei invinctam elucere, ferendo Sacerdotes mortuos in peccatis, celebrantes sæpiùs divina mysteria, & recipientes SS. Sacramentum; totiesque differendo exulcerati furoris ultionem. Hinc S. Gregor. Magnus *Hom. 17. in Evang.* sic ait: *Nullum puto, fratres charissimi, ab aliis majus præjudicium, quàm à Sacerdotibus tolerat Deus, &c.*

14. Et si vultis scire, quale hoc sit præjudicium, quale peccatum, considerate JESUM

sum in manibus Judæorum, qui ex una parte cernui illum adorabant, & verbis ad reverentiam compositis venerabantur: ex altera verò maledictis, & cavillis obruebant; dabant alapas, & arundine caput pulsabant. Pares his sunt infelicissimi Sacerdotes, qui ad divina accinguntur, cum se reos peccati mortalis deprehendunt; qui sacris se præcingunt vestimentis, Sacrosancta Missæ mysteria celebrant, cæremonias illas Sacratas mente polluta perficiunt; immò peiores sunt Judæis ob majorem scientiam, ob majores acceptas gratias, & ob alia, quæ culpam aggravant.

15. Audiant nunc SS. Patres: S. Thomas à Villa nova super hæc Apostoli verba: *Reus erit Corporis, & Sanguinis Domini*, de talibus sic ait: *ac si Christum occidisset, & effudisset ejus Sanguinem; quascunque enim blasphemias, quascunque irrisiones, quæcunque opprobria impiissimi Judæi corporaliter in Christum exercuerunt, has omnes spiritualiter repetit impius comestor, filium Dei rursus in semetipso crucifigens, & ostentui habens.*

Affirmat hoc, & gravius declarat S. Cyprianus in hunc modum: *Plùs modò in Dominum manibus atque ore delinquunt, quàm cum ipsum Dominum negaverunt; quia ante expiata delicta, ante confessionem factam criminis, ante purgatam conscientiam, Sacrificio & muneri Sacerdotis se ingerere non verentur*

rentur . . . persecutio hæc alia est, & alia tentatio gravior . . . faucibus adhuc exhalantibus scelus suum, & contagia funesta redolentibus, Domini Corpus invadunt, spretis salutaribus monitis, atque contemptis, vis inferitur Corpori, & Sanguini Domini.

Execrabile scelus indignè celebrantis Sacerdotis S. Augustinus, inter alia, his verbis exponit: *Gravius peccant indignè offerentes Christum regnantem in Cælis, quàm qui eum Crucifixerunt in terris.*

16. Quæri hîc posset, an inter Sacerdotes plures sint, qui dignè? aut an plures, qui indignè celebrant? ad hoc nullum datur responsum; sed proponitur sententia divi Joan. Chrysofomi: *Non arbitror inter Sacerdotes multos esse, qui salvi fiant, sed multò plures, qui pereant.* Hoc effatum nititur sententiæ æternæ veritatis: *multi sunt vocati, pauci verò electi.* Matth. 22. 14.

17. Certum est, omnes Sacerdotes à Deo non aliter esse vocatos, nisi ad munus, & ministerium suum dignè gerendum, ac ad Missam sanctè legendam; nec ullus dicere audebit, quòd Sacerdotes dignè celebrantes sint inter multos, qui pereunt. Ergo facillimè concludendum . . . nec hæc consequentia rigida, aut incredibilis videbitur, si considerentur hucusque dicta, & mox dicenda.

18. Secundò modò potest Sacerdos esse indignus ad celebrandum propter peccata ve-

nialia , prout declarat S. Bonaventura super illud Apostoli : *Probet autem seipsum homo*, & ubi sic commentatur : *Proba teipsum*, ex quanta charitate, & quali fervore accedis : non enim solum mortalia vitanda sunt, sed etiam venialia peccata, quæ per negligentiam, vel otium multiplicata, & etiam per inconsiderationem, ac per distractionem dissolute vitæ, & malæ consuetudinis ; licet enim non occidant animam : tamen reddunt hominem tepidum, gravem, & obnubilatum, indispositum & ineptum ad celebrandum ; nisi dicti pulveres, & stipulæ venialium per afflatum spiritûs, & flammam charitatis ventilentur, & consummantur, excandescente igne cordis in consideratione. Ideo cave, ne nimis tepidus, & inordinatus, atque inconsideratus accedas ; quia indignè sumis, si non accedis reverenter, circumspèctè, & consideratè ; de quibus Apostolus ait : *Judicium sibi manducat & bibit*. Ita Sanctus Doctor Seraphicus : ex quo liquet, quanta requiratur puritas conscientie.

19. Terrorem incutere deberet omnibus Sacerdotibus id, quod Christus dixit Petro in ultima Cæna. *Si non laverò te, non habebis partem mecum*. Joan. 13. 8. Mundus quidem erat Petrus, ut cæteri, excepto Judæ ; sed in pedibus adhuc munditia deficiebat, sine qua non poterat particeps esse mysteriorum. Audiamus S. Bernardum super dicta verba Domini in hunc modum loquentem :

Scimus, quia ablutio ista pedum discipulorum ad diluenda peccata, quæ non sunt ad mortem, à quibus plenè cavere non possumus in hac vita, pertineat; quod ex eo planè constat, quòd offerenti manus & caput pariter ad abluendum, responsum est: qui lotus est, non indiget, nisi ut pedes lavet: lotus enim est, qui gravia peccata non habet, cujus caput, id est intentio, & manus, id est operatio & conversatio munda est; sed pedes, qui sunt animæ affectiones, dum in hoc pulvere gradimur, ex toto mundi esse non possunt, quin aliquando vanitati, aliquando voluptati, aut curiositati, plus quàm oportet, cedat animus, vel ad horam; in multis enim offendimus omnes. Verumtamen nemo hæc, quæ videntur modica, contemnat, aut parvipendat; nemo pernicio-
sa securitate dormitet; quoniam (sicut audivit Petrus) nisi laverit ea Christus, non habebimus partem cum eo. Hucusque doctor Mellifluus.

20. Debet proinde Sacerdos celebraturus talem habere conscientiam, quæ etiam pura sit ab omni peccato veniali, prout in Missa insinuat lotio manuum, de qua S. Dionysius Areopagita ita loquitur: Ablutio illa non fit ad delendas corporis sordes, quia jam lotæ fuerunt; sed in symbolum, quòd oporteat nos à peccatis omnibus mundari, & ad designandam animi puritatem: atque ideo abluuntur non manus, sed solæ extremitates digi-

torum, ad designandum non solum gravia, sed etiam levissima peccata tollenda. Idem affirmant S. Clemens Papa, S. Cyrillus Alexandrinus & S. Thomas.

Tolluntur autem peccata, etiam levissima, optimo modo per debitam confessionem; unde Ritus servandi in celebratione Missæ tit. I. n. 1. sic habent: *Sacerdos celebraturus Missam, præviâ confessione Sacramentali, &c.*

Caveat tamen Sacerdos, ne sacrâs indutus vestibus confiteatur; quia hoc non decet: confiteatur ergo prius; debet enim esse præparatus ad Missam, antequam se induat.

21. Conscientiâ purificatâ, debet Sacerdos arripere alteram partem præparationis, videlicet orationem, de qua loco citatâ sic habetur: *Orationi aliquantulum vacet, & orationes inferius positas pro temporis opportunitate dicat.* Per *Orationi vacet* denotatur oratio mentalis, seu meditatio: per *orationes dicat*, oratio vocalis.

Rejectis proinde omnibus curis debet vacare orationi mentali, in qua mens ad Deum elevatur, & voluntas ad ejus amorem inflammatur. Præcipuum autem, & principale objectum hujus meditationis est Passio Domini nostri, quæ in Missa repræsentatur.

22. Debet etiam præcedere Missam oratio vocalis, in qua primum locum habet pars Horarum Canoniarum, videlicet Matutinum

num cum laudibus, ut habet Ritus, vide *Part. 2. tit. 1. n. 1.*

Sunt & aliæ orationes, ac modi se præparandi ad Missam, qui Sacerdotibus erunt salubres, si eis usi fuerint in spiritu devotionis, & fervoris. Illis autem, qui continuïs curis œconomicis & re familiari occupantur, haud proficua erit præparatio; ait namque S. Petrus Damian: *Nimis impossibile est, ut is, qui rerum familiarium curis opprimitur, qui colloquendo turbis quotidie popularibus admiscetur, mundo corde sanctis valeat interesse. Mysteriis.*

23. Et quid dicendum de iis, quorum præparatio in hoc consistit, quod ore solùm quasdam preces festinanter orent? Et quid de illis, quorum præparatio ad Missam est otium, aut inanis conversatio, aut lusus, aut....? Responsum ad hoc facilè eruitur ex dictis.

24. Unum est valde mirandum. SS. Eucharistiæ Sacramentum duos habet effectus, unus omnibus Sacramentis communis est, videlicet, dare gratiam, & ejus augmentum his, qui nullum impedimentum objiciunt. Alter effectus est huic Sacramento singularis, conferre scilicet nutrimentum spirituale, animisque dulcedinem, atque suavitatem infundere. Hos autem effectus paucissimi experiuntur; etsi toties, immò quotidie ad ad hanc Sacram mensam accedant; quæ hujus est ratio? L 3 Ref-

Responsum habemus ex eleganti quadam comparatione, quam Os aureum divi Chrysofostomi ita eloquitur: *sicut cibus corporalis, cum corpus invenit malis humoribus occupatum, amplius lædit, & nocet, nec ullum præstat auxilium: sic spiritualis hic cibus, si aliquem invenit malitiâ inquinatum, magis eum perdit, non suâ naturâ, sed accipientis vitiô: tales enim sunt socii Judæ proditoris, in quem post buccellam intravit satanas.*

§. II.

De gratiarum actione post Missam.

1. **T**Riplex est gratiarum actio circa Missam. *Prima* est de præcepto Ecclesiastico; quia est Missæ intrinseca, ejusque pars integralis, ac ordinaria. *Secunda* non est quidem de præcepto, præscripta tamen à Rubrica. *Tertia* est ad arbitrium Sacerdotis.
2. Primam gratiarum actionem incipit Sacerdos in Altari post sumptionem, pronuntiando in cornu Epistolæ Orationem, seu Orationes, postcommuniones nuncupatas.
3. Secunda gratiarum actio facienda post Missam, & à Rubricis *tit. XII. n. 6.* præscripta consistit in Antiphona *Trium puerorum, &c.* In Missalis initio positis. Et hæc est optima gratiarum actio vocalis post Missam, cum ab Ecclesia sit præscripta.
4. Completis primis duabus gratiarum actionibus, quas Sacerdos ut publicus Ecclesiæ

fiæ minister peregit, debet, depositis Sacris vestibus, & lotis manibus, ut persona privata se conferre ad orationem mentalem, seu ad tertiam gratiarum actionem: debet se colligere ad agendum cum Deo, quem intra se habet, profundè cogitando, quanta sibi fecerit Dominus in peracto sacrificio: debet elicere actus amoris, adorationis, & humilitatis. &c.

Ast non pauci contenti sunt modica illa gratiarum actione à Rubricis præscripta, aut aliis quibusdam precibus, ex libello cum festinatione, absque debita attentione, & consideratione recitatis.

5. Recurrit in fine hujus opusculi infelicissimus Judas, de quo sæpiùs mentio facta est. Apud ingratiſſimum hunc discipulum erat Magister cælestis in tam exigua æstimatione, quòd eum inimicis proſcripserit ad eorum arbitrium. *quid vultis mihi dare? Matth. 26. 15.* & postquam ei constituerunt triginta argenteos, quærebat opportunitatem eum tradendi. Et quando eum tradidit? post summptionem Sacramenti. Alii remanserunt in cœnaculo, gratias agentes: & hymno dicto exierunt in montem Oliveti. *Ib. v. 30.* Judas verò cum accepisset bucellam, exivit continuò. *Joan. 13. 30.* Si mansisset in gratiarum actione, tantum malum non perpetrasset: *nisi enim ille exisset, proditor factus non esset, ait divus Chrysoſtomus.*

6. Infelicissimi Sacerdotes, qui JEsū adeo vilipendunt, quòd eum cuivis commodo corporali postponant; quia post Missam continuò exeunt: locò debitæ gratiarum actionis ad corporis commoditates, ad sensuum oblectamenta properant. Audiant citatum Sanctum: *Judam imitantur, qui ante ultimam gratiarum actionem discedunt.*

Visne scire, Reverende Sacerdos, quænam sit ultima gratiarum actio? ultima gratiarum actio est illa, quæ sufficit: est illa, quam alia non subsequitur: est illa, quæ respondet beneficio accepto: est illa, quæ reddit opus perfectum. Et hisce hoc Opusculum finem habet.

7. Opusculum hoc digestum est pro duobus Sacerdotibus: pro uno, qui se disponit ad celebrandum primum SS. Missæ Sacrificium. Pro altero, qui Missam celebravit. Primus legat, & perlegat Rubricas Missalis Romani, ac benè intueatur hoc opusculum, sicque se comparet ad tractanda, & sumenda divina mysteria. Debet autem legere hæc omnia, non cursim, non obiter, non perfunctoriè; sed paulatim, & consideratè, attendendo ad singula verba: quia nihil in hoc opusculo temerè positum est. Alter conferat Rubricas Missalis Romani cum hoc Opusculo, cum lege naturali, divina, & Ecclesiastica, & judicet, qualiter Missa celebrari, ac Sacri Ritus, & cæremoniæ in, & extra Missam observari debeant. Et caveat summo-
pere,

pere , ne sit de numero illorum , qui nul-
 latenus sunt solliciti , suos errores corrigendi ,
 sed in contracto abusu , & prævaricatione
 firmi persistunt , sibi persuadentes , quòd
 Rubricas optimè observent , & nulla in-
 structione , aut correctione indigeant ; dum
 re ipsa plurimos in eas errores committunt ;
 hos incorrigibiles , & seductores de-
 vitare necesse est.

*Laudetur SS. Sacramentum , ac Sanctissima
 Virgo Deipara , sine labe concepta.*



I N D E X.

- A**blutio digitorum in Missa. *parte 2. tit. 10. numero 3. folio 71. 72. in distribuenda SS. Eucharistia. ibidem num. 6. f. 76.*
 ablutio communicantium *ibid. f. 77. & p. 3. cap. 4. §. 2. n. 5. f. 127.*
- Absolutio mortuorum. *p. 2. tit. 13. n. 4. f. 87.*
- Altare ad Missam requisitum. *p. 1. tit. 20. f. 11. ejus aspersio. p. 3. c. 5. §. 3. n. 6. f. 145.*
- Amictus. *p. 2. tit. 1. n. 3. f. 18.*
- Ampullæ. *p. 2. tit. 2. n. 1. f. 21. tit. 7. n. 4. f. 45.*
- Antependium. *p. 1. tit. 20. f. 13. p. 3. c. 4. §. 1. n. 10. f. 126.*
- Antistes in Missa nominandus. *p. 2. tit. 8. n. 2. f. 52.*
- Aqua benedicenda. *p. 3. c. 5. §. 3. n. 1. & 2. f. 143.*
- Aspersio Altaris, & populi. *p. 3. c. 5. §. 3. à f. 143.*
- Baldachinum Altaris. *p. 3. c. 4. §. 1. n. 10. f. 125.*
- Benedictio danda in fine Missæ. *p. 2. tit. 12. n. 1. f. 82. expositio SS. Sacramentò. p. 3. c. 2. n. 17. f. 102. post distributam communionem. p. 3. c. 4. §. 2. n. 7. f. 128. cum Ciborio. ibid. n. 10. f. 130. cum Ostensorio. p. 3. c. 4. §. 1. à n. 2. à f. 120.*
- Birretum. *p. 1. tit. 20. f. 13. p. 2. tit. 12. n. 6. f. 85.*
- Bursa. *p. 2. tit. 2. n. 2. f. 25.*

- Cæsaries ficta.** p. 2. tit. 1. n. 2. f. 17.
- Calix qualis?** p. 2. tit. 1. n. 1. f. 15. ubi sistendus? tit. 2. n. 2. f. 25. tegendus in principio. tit. 2. n. 2. f. 26. extergendus. tit. 7. n. 4. f. 44. tegendus in fine. tit. 10. n. 5. f. 72.
- Campanula quando, & quomodo pulsanda?** p. 2. tit. 2. n. 1. f. 21. tit. 7. n. 8. f. 51. tit. 8. n. 4. f. 53. n. 6. f. 58. p. 3. c. 2. n. 14. f. 101. c. 4. §. 1. n. 10. f. 125. 126.
- Candelæ emungendæ, & extinguendæ.** p. 2. tit. 12. n. 6. f. 83.
- Ciborium. ejus purificatio.** p. 2. tit. 10. n. 6. f. 79. ejus velum, seu palliolum. p. 3. c. 4. §. 2. n. 2. f. 127. Benedictio cum eo danda, ib. n. 10. f. 130.
- Communio distribuenda intra Missam.** p. 2. tit. 10. n. 6. à f. 73. extra Missam. p. 3. c. 4. §. 2. à f. 126.
- Concio intra Missam quando, & quomodo facienda?** p. 2. tit. 6. n. 6. f. 42. p. 3. c. 3. §. 2. n. 9. f. 117.
- Confecratio Hostiæ.** p. 2. tit. 8. n. 5. à f. 53. Calicis. ib. n. 7. f. 59. 60.
- Conspicilla.** p. 1. tit. 20. f. 14.
- Coronides Altaris.** ib. f. 12.
- Corporale.** p. 2. tit. 1. n. 1. f. 16. tit. 2. n. 2. f. 25. p. 3. c. 5. §. 2. n. 6. f. 142.
- Credo, seu Symbolum in Missa.** p. 2. tit. 6. n. 3. f. 41.
- Cruz efformanda in fronte, ore, & pectore.** p. 2. tit. 6. n. 2. f. 39. 40. tit. 12. n. 1. f. 82.

83. à fronte ad pectus, &c. p. 2. tit. 3. n. 4. f. 29. n. 5. f. 30. Super oblata. tit. 7. n. 5. f. 47. 48.

Crux Altaris. p. 1. tit. 20. f. 13. quomodo cooperiendâ tempore Passionis. p. 3. c. 5. §. 4. n. 2. f. 149. lignum SS. Crucis. ib. n. 8. f. 151. 152.

Cubiti super Altare ponendi. p. 2. tit. 8. n. 5. f. 54. n. 7. f. 59. tit. 10. n. 4. f. 68.

Cusinus. p. 2. tit. 7. n. 1. f. 42. p. 3. c. 3. §. 1. n. 9. f. 106.

Elevatio Hostiæ. p. 2. tit. 8. n. 5. à f. 54. Calicis. ib. n. 7. f. 59.

Epistola quomodo dicenda? p. 2. tit. 5. n. 2. f. 38.

Eucharistia exponenda. vide Expositio. quomodo coram ea genuflectendum? p. 3. c. 4. §. 1. n. 9. f. 124. c. 5. §. 4. n. 10. f. 153. quomodo administranda? vide communiô. quomodo asservanda? p. 2. tit. 10. n. 6. f. 80. ejus effectus. p. 3. c. 6. §. 1. n. 24. f. 165.

Expositio SS. Sacramenti. p. 3. c. 4. §. 1. à f. 120.

Feria V. in Cœna Domini. p. 3. c. 5. §. 4. n. 2. f. 148. 149.

Genuflexio quomodo faciendâ? p. 1. n. 6. f. 6.

Gratiarum actio post Missam. p. 3. c. 6. §. 2. à f. 166.

Hostia. p. 2. tit. 1. n. 1. f. 15. ejus fractio. tit. 10. n. 2. f. 63. 64. non regitur sub incensatione. p. 3. c. 3. §. 1. n. 21. f. 112.

Ima-

Imagines Sanctorum. *vide* Reliquiæ.

Incensatio in Missa facienda. p. 3. c. 3. §. 1.
& 2. à f. 103. Crucis. §. 1. n. 8. f. 106.
Reliquiarum. *ib.* à n. 14. f. 108. Altaris.
ib. à n. 10. f. 107. Celebrantis. *ib.* n. 13.
f. 108. & §. 2. n. 6. f. 116. *item* n. 8. & 10.
f. 117. Libri Missalis. §. 1. n. 19. f. 111.
Oblatorum. *ib.* à n. 21. f. 112. Ad Ele-
vationem. *ib.* n. 26. f. 113. SS. Sacramen-
ti in Missa. §. 2. n. 3. f. 115. & n. 10. f.
117. Extra Missam. c. 4. §. 1. n. 1. f. 120.
In Processione. c. 5. §. 4. n. 9. f. 152. In
Vesperis. c. 3. §. 3. à f. 118. In Missa de
Requiem. §. 1. n. 27. f. 114. Ligni SS.
Crucis. c. 5. §. 4. n. 8. f. 151. 152.

Incensum ubi, & quomodo imponendum?
p. 3. c. 3. §. 1. à n. 2. à f. 103. §. 2. n. 3. f.
115. c. 4. §. 1. n. 1. f. 120. quando, & quo-
modo benedicendum? locis citatis. & c. 3.
§. 3. n. 7. f. 119.

Inclinatio quæ, & quotuplex? p. 1. n. 7. f. 6. 7.
Infusio vini, & aquæ. p. 2. tit. 7. n. 4. f. 45.
46. tit. 10. n. 5. f. 70. 71.

Intentio celebrandi Missam. p. 3. c. 6. §. 1. n.
9. 10. f. 157. 158.

Lignum SS. Crucis. *vide* Crux.

Linteum. *vide* Velum Communionis.

Litaniæ coram SS. Sacramento exposito. p. 3.
c. 4. §. 1. n. 8. f. 124.

Lotio pedum, seu Mandatum. p. 3. c. 5. §. 4.
n. 2. f. 149.

Lumen ante Tabernaculum SS. Sacramenti.
p. 2. tit. 10. n. 6. f. 80. Ma-

Manipulus. p. 2. tit. 1. n. 3. f. 19. p. 3. c. 3. §. 3. n. 8. f. 119. c. 5. §. 4. n. 2. f. 148.

Manus extendendæ. p. 2. tit. 5. n. 1. f. 35. 36. Jungendæ ante pectus. tit. 3. n. 1. f. 28. extensæ super Altare ponendæ. tit. 4. n. 1. f. 34. junctæ super Altare ponendæ. tit. 4. n. 1. f. 33. 34. tit. 9. n. 1. f. 60. earum lotio. tit. 1. n. 1. f. 15. n. 3. f. 19. tit. 7. n. 6. f. 48. p. 3. c. 3. §. 1. n. 25. f. 113. §. 2. n. 10. f. 117.

Manutergium, seu Mappula. p. 2. tit. 7. n. 6. f. 48. 49.

Mappa, seu Tobalea. p. 1. tit. 20. f. 12. p. 3. c. 5. §. 2. n. 6. f. 142.

Memento vivorum. p. 2. tit. 8. n. 3. f. 25. de defunctorum. tit. 9. n. 2. f. 61.

Minister Missæ quomodo ministrare debeat? p. 2. per totum, & deinceps. Est necessarius; & qualis? p. 3. c. 1. §. 2. à f. 95. quomodo debeat orare? p. 2. tit. 4. n. 1. f. 33.

Missæ qua hora celebrari possit? p. 1. tit. 15. à f. 8. Conventualis. tit. 16. n. 2. f. 11. celebranda post recitatum Matutinum cum Laudibus. p. 2. tit. 1. n. 1. f. 14. de Requiem tit. 13. f. 87. p. 3. c. 3. §. 1. n. 27. f. 114. in Oratoriis privatis. p. 1. tit. 20. f. 11. ejus interruptio. p. 3. c. 1. §. 1. à f. 92. coram summo Pontifice, & Prælati. p. 2. tit. 3. n. 2. f. 29. n. 11. f. 32. quando absque ministro celebrare liceat? p. 3. c. 1. §. 2. à n. 2. f. 95. coram SS. Sacramento expo-
sito

lito. c. 2. à f. 97. cum Incensatione Altaris. c. 3. §. I. & 2. à f. 103. In nocte Nativitatis Domini. p. 1. tit. 15. n. 1. f. 9. Feria V. in Cœna Domini p. 3. c. 5. §. 4. n. 2. f. 148. 149. dum sub Missa alius auferit, aut adfert Ciborium. p. 2. tit. 8. n. 6. f. 56. 57. dum sub Missa alius distribuit communionem ante illud Altare. tit. 3. n. 2. f. 29. n. 11. f. 32. quomodo celebranda? p. 1. & 2. per totum p. 3. c. 5. §. 1. à f. 131. spatium temporis ad Missam requisitum. c. 5. §. 1. à n. 13. à f. 138.

Missale quomodo portandum? p. 2. tit. 2. n. 1. f. 21. tit. 6. n. 1. f. 38. quando aperiendum? tit. 1. n. 1. f. 16. claudendum. tit. 11. n. 1. f. 81. tit. 12. n. 6. f. 83. non aperiendum à ministro. tit. 2. n. 2. f. 26.

Mundities in locis & rebus ad divinum cultum pertinentibus. p. 3. c. 5. §. 2. à f. 140.

Navicula. p. 3. c. 3. §. 1. à n. 2. à f. 103.

Oculorum elevatio. p. 2. tit. 6. n. 2. f. 39.

Offertorium. p. 2. tit. 7. n. 1. f. 42. 43. n. 5. f. 46.

Oratio à cunctis. p. 2. tit. 5. n. 2. f. 37. iussa à majoribus. *ibidem*.

Oratorium privatum. p. 1. tit. 20. f. 11. 12.

Osculum Altaris. p. 2. tit. 4. n. 1. f. 34. Pacis. tit. 10. n. 3. f. 65. 66.

Ostenforium. Benedictio cum eo danda. p. 3. c. 4. §. 1. à n. 2. à f. 120.

Palla. p. 2. tit. 1. n. 1. f. 16. tit. 7. n. 2. f. 43.

Pallium. Vide Antependium.

Para-

Paramenta. p. 2. tit. 1. n. 2. f. 16. p. 3. c. 5. §. 2.
n. 5. f. 141. 142. Assumenda extra Altare.
p. 2. tit. 1. n. 2. f. 18. p. 3. c. 5. §. 3. n. 11.
f. 147. dimittenda. p. 2. tit. 12. n. 6. f. 84.
86. p. 3. c. 5. §. 3. n. 10. f. 147. §. 4. n. 2.
f. 149.

Parruca. Vide cæsaries ficta.

Particulæ. p. 2. tit. 2. n. 3. f. 26. tit. 7. n. 3. f.
44. tit. 8. n. 5. f. 53. n. 6. f. 56. tit. 10. n.
5. f. 69. n. 6. à f. 74. mutandæ, seu reno-
vandæ. tit. 10. n. 6. f. 80.

Patena. p. 2. tit. 1. n. 1. f. 15. tit. 7. n. 2. f. 43.
n. 3. f. 44. tit. 10. n. 1. f. 62. n. 2. f. 63.
n. 5. f. 70. non ponenda super Hostiam.
p. 3. c. 3. §. 1. n. 21. f. 112.

Pax. Vide osculum Pacis.

Pectoris tunsio. p. 2. tit. 3. n. 7. f. 31. tit. 9.
n. 3. f. 61. tit. 10. n. 2. f. 65.

Perispicilla. p. 2. tit. 7. n. 2. f. 43.

Planeta. p. 2. tit. 6. n. 3. f. 41. non osculanda.
tit. 8. n. 6. f. 57.

Pluviale. p. 3. c. 5. §. 4. n. 9. f. 152.

Præparatio ad Missam. p. 3. c. 6. §. 1. à f.
153.

Preces 40. horarum. p. 3. c. 4. §. 1. n. 10. f.
25. 26.

Processio. p. 3. c. 5. §. 4. à f. 148. fer. V. in
Cœna Domini. *ibid.* n. 2. f. 149. 150.

Pulsus campanulæ. Vide campanula.

Purificatio. Vide ablutio. Ciborium.

Purificatorium. p. 2. tit. 1. n. 1. f. 15. tit. 7.
n. 4. f. 44. tit. 10. n. 6. f. 77. p. 3. c. 5. §. 2.
n. 6. f. 142.

Re-

- Reliquiæ Sanctorum incensandæ in Missa. p. 3. c. 3. §. I. n. 14. 15. f. 108. 109.
- Reverentia quotuplex, & quæ? p. I. n. 6. f. 6. p. 2. tit. 3. n. 1. f. 28.
- Ritus ac cæremoniæ in Missa. p. I. & 2. per totum. p. 3. c. 5. §. I. à f. 131. in aliis functionibus. p. 3. à f. 92.
- Rubricæ observandæ. p. I. à n. 3. à f. 3. p. 2. tit. 2. n. 2. f. 24. 25.
- Sacerdos quid? p. 3. c. 6. §. I. n. 2. f. 154. ejus dignitas. *ib. n. 3.* ejus obligatio. c. 5. & 6. à f. 131. indignè celebrans. c. 6. §. I. à n. 11. à f. 158.
- Sacristia. silentium in ea observandum. p. 2. tit. 1. n. 3. f. 20.
- Signum crucis manu formandum. vide *Cruce*. Patenâ formandum. p. 2. tit. 7. n. 3. f. 44. tit. 10. n. 2. f. 63.
- Stola. p. 2. tit. 1. n. 3. f. 19. p. 3. c. 3. §. 3. n. 8. f. 119.
- Strophium Altaris. Vide *Manutergium*.
- Sudarium, seu strophium Sacerdotis. p. 2. tit. 2. n. 1. f. 22.
- Sumptio Corporis. p. 2. tit. 10. n. 4. f. 68. Sanguinis. *ib. n. 5.* f. 69. 70.
- Thuribulum quomodo tenendum, & tradendum? p. 3. c. 3. §. I. à n. 2. à f. 103.
- Thurificatio, Vide *Incensatio*.
- Thus. Vide *Incensum*.
- Tobalea. Vide *Mappa*.
- Tonsura Clericalis. p. 2. tit. 1. n. 2. f. 16.
- Velum Calicis. p. 2. tit. 7. n. 2. f. 43. tit. 10. n. 5.

n. 5. f. 72. Communionis. iō. n. 6. f. 74.
humeris Sacerdotis imponendum, p. 3. c. 4.
§. I. m. 2. f. 120.

Vestes Sacræ. Vide Paramenta.

Vestis talaris. p. 2. tit. I. n. 2. f. 16.


Vox, quæ, & quotuplex in Missa privata?
p. I. n. 5. f. 5, 6. tit. 16. n. I. f. 10.

ERRATA.

<i>Fol.</i>	<i>Linea</i>	<i>Locò.</i>	<i>Legè.</i>
17	12.	ficti	ficti.
19	4.	latis	lotis.
24	4.	I.	2.
31.	8.	tunfinem	tunfionem.
32.	25.	afendenti	ascendenti.
33.	20.	in corrigibilem	incorrigibilem
76.	7.	Sacerodos	Sacerdos
82.	27.	punctis	junctis.
III.	22.	dexttis	dextris.
II2.	3.	12.	13.
I22.	2.	22.	21.
I33.	17.		4.

*Reliquæ menda à prudente Lectore facile
corrigentur.*





THE UNIVERSITY OF CHICAGO
PRESS
CHICAGO, ILL.
1954

ERRATA

1	2	3	4
5	6	7	8
9	10	11	12
13	14	15	16
17	18	19	20
21	22	23	24
25	26	27	28
29	30	31	32
33	34	35	36
37	38	39	40
41	42	43	44
45	46	47	48
49	50	51	52
53	54	55	56
57	58	59	60
61	62	63	64
65	66	67	68
69	70	71	72
73	74	75	76
77	78	79	80
81	82	83	84
85	86	87	88
89	90	91	92
93	94	95	96
97	98	99	100

Printed in the University of Chicago Press
Chicago, Illinois

